DE
ROMANI AERIS
SALVBRITATE
COMMENTARIVS

Auctore

MARSILIO CAGNATO MEDICO



ROMAE,

Apud Aloysium Zannettum M D I C.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur si videbitur Reuerendissimo Mag. S. P.


P. Episcopus Rauellen. Vicesgerens.

Ego Iulius Cæsar Galla in Sacra Theologia licentiatus de mandato admodum Reuerendissimi D. Patris Magistri Sacri Palatij legi Commentarium de salubritate aeris Romani. D. Marsili Cagnati Veronensis quod eruditum satis atque varia & vtili lectione refertum comperi nec vllo errore circa fidem aut vlla erroris suspitione notandum censui; quare & dignum editione reputo & lectione.

Iulius Cæsar Galla.

Imprimatur.

Fr. Angelus Brixius Cas. Reuerendissimi P. Magistri Sac. Pal. socius.



PETRO ALDOBRANDINO CARD. AMPLISSIMO, CLEMENTIS VIII. PONT. MAX. NEPOTI.



MARSILIVS CAGNATVS S. P. D.


RES meas a te, pro tua singulari humanitate, Princeps optime, plurimi fieri, nec semel, nec obscure significasti. Litterarum studium iam inde a teneris adamasti, & diligenter coluisti. Doctos viros dilexisti, & ex ijs selectos qui apud te viuerent, amplissimis muneribus inuitasti. Ac tandem nihil a te prætermissum est, quo intelligi possit, optimarum artium culturam tibi esse, Principum more præstantium, mirum in modum commendatam. His ergo de caussis consilium (opinor) meum nemo damnauerit, qui commentationem hanc qualemcumq; in tuo nomine apparere, decreuerim. Sed accedit,

amplissima tua auctoritas, qua prorsus indiget argumentum & nouum, & (vt aliqui fortasse dicent) παράδοξον, quamobrem debet robusto pedamento muniri, vt consistat, ac ne onere præsertim nouitatis, & præiudicatæ opinionis opprimatur. Non vtar autem pluribus, vt tutelam hanc tuæ summæ humanitati commendem, ne videar parum mihi constare, & ea præsens ignorare, quæ de tuis præstantissimis virtutibus a remotioribus quoque gentibus prædicantur. Vale. Romæ.

DE ROMANI AERIS SALVBRITATE
COMMENTARIVS,

Auctore
MARSILIO CAGNATO MEDICO.





VOD aqua piscibus, hoc cum reliquis viuentibus, tum ipsis hominibus aer est; vtque quò sunt aquæ puriores, & lucidiores, eò pisces nascuntur in eis suauiores, & salubriores, ita quò est aer purior, tenuiorque, eo magis, vt aliis viuentibus, sic ipsis hominibus salutaris est: quapropter nemini mirum videri debet, veteres naturalium studiosos arcanorum, necessarium maximè vsum horum animaduertenteis elementorum; & ideo deceptos existimasse hos, animam nihil esse, nisi aquam, vt Hipponem, illos nisi aerem, vt Diogenem: cuius opinionem ferè secutus Ennius ipsum aerem vocauit animam, vt M. Varro testatus est, cum libro priore de re rustica, inquit: Eius principia sunt eadem (de agrorum colendorũ scientia sermo erat) quæ mundi esse Ennius scribit, aqua, terra, anima, & Sol: sed ipse Varro aerem vocauit animam lib. 5. de lingua Latina, cum dixit, hiemem ab hiatu dictum, quod tum, anima, quæ

ma, quæ flatur, omnium apparet. Immo Lactantius lib. de opificio Dei. cap. 17. ex Varrone dixit, Animam esse aerem conceptum ore, deferuefactũ in pulmone, tepefactum in corde, diffusum in corpus (quæ falsa sunt omnia, vt idem ait Lactantius) Sanè qui agrũ empturus est, qui ædes, qui vrbem est ædificaturus, de Aeris salubritate inprimis solicitus est. Idem Varro, vtilissimus, inquit, is ager, qui salubrior est, quam alij: quod ibi fructus certus. Contra, quod in pestilenti calamitas (quamuis in feraci agro) colonum ad fructus peruenire non patitur: etenim, vbi ratio cum orco habetur, ibi non modò fructus est incertus, sed etiam colentium vita. Omitto, quod ante hunc M. Cato de re eadem scripserat, & repetit Columella, & cæteri rerum rusticarum auctores. Vitruuius verò tam in priuatis ædificijs, quàm in publica mœnium collocatione, regionis salubritatem primum, & maximè Architecto commendat. Nec aliter sensit Strabo, cum lib. 2. negauit, probè domum, aut vrbem fundaturum, qui ignorauerit Cæli regiones, figuras, magnitudines, calores, & frigora, & huiusmodi. Quid ergo miramur, Hippocratem medicinæ studiosos in primis admonuisse, vt in curanda hominum salute regionis habeant rationem? hoc sanè vno verbo in aphorismis commendatum, explicauit latius in secundo lib. de diæta, latissimè verò in eo, qui inscriptus est, de aere, aquis &, locis. ita tamen, vt medentibus reliquerit (qui præcipuus maximèq. vtilis laqor est) obseruandum, cuiusmodi ea sit regio cuiusmodi is aer sit, in quo medicinam facturus versatur. Propterea cum (nescio quo arcano Dei O. M. consilio) Veronen-

ronen-

ronensibus meis relictis, iam annos plureis triginta medicinam Romæ faciam, suscepta quoque, Summorum Pontificum beneficio, prouincia medicam facultatem publice interpretandi, in id etiam, quantum potui, diligentissime incubui, vt Romani aeris naturam, & vires agnoscerem: quid in eo vitij, vel bonitatis inesset, quibus cultores morbis obnoxios redderet, vel quibus curandis ægritudinibus auxiliaretur: Si quidem vulgatum est capitis vlcera feliciter, crurum verò difficulter sanari: vno verbo salubris sit, an insalubris appellandus. De qua re noui, scriptum quidem aliquid à viris doctis quibusdã, sed res indicabit ipsa, meam nõ solũ non superuacaneam, verũ necessariam operam fuisse, qui in animum induxerim, ea litterarum commendare monumentis, quæ ego interim ipse animaduerti. Quamuis, vt ea scriberem, non tam proprio sum adductus consilio, quam quorundam hortatione amicorum, quibus cum aliquando (sunt enim viri profecto doctissimi) de re eadem, contra illam, quæ vulgo habetur, de Romani aeris salubritate, opinionem, disputaui. Sequar autem vulgatum differentium morem, atque exponam primò, quæ de Cælo Romano iactantur vulgo, deinde aperiam, quid mihi tum rationibus, tum experimentis, & auctorum testimonijs persuasum sit, postremo contrariarum momenta rationum examinabo. Quæ igitur vulgo feruntur ea sunt. Idque in primis, quod passim pleno ore medici resonant, Cælum Romanum destillationibus obnoxium esse Galeno auctore, qui hoc lib. 2. c. 6. de temperam. & lib. 5. methodi. c. 9. disertè scripsit: licet aliqui diligentiores in 5. methodi pro τόπῳ,

quo

quo locus, legant τρόπῳ quo modus significatur: sed hoc non efficit, quin eà fuerit Galeni de hoc loco opinio, cum in 2. de temperam. tam dilucidè hoc affirmauerit, vt nullus sit relictus dubitationi locus. Sed & qui attente Galeni orationem in 5. methodi examinauerit, intelliget, consentaneum esse magis, si legatur, loco, quam, modo: nam cum dixerit, fieri pulmonis nonnullas affectiones Romæ maximè (scilicet non contentus, dixisse, Romæ, adiecit, maximè) fuit reddenda eius sententiæ ratio: sicut igitur in 2. lib. de temperam. ita in hoc quoque loco, dixit, eße humidiorem loci naturam, cumque sit sermo in eo loco Galeno peculiaris de ossium thoracis putredine, quam facit pus, quod in thorace suppuratorum continetur, fuisset alienum dicere, putredinem eiusmodi modo rheumatico fieri, siue more destillationis, sed fit propinquæ partis contagio, quod omnino à destillatione diuersum est; facit autem aeris humor nimius circumstans, vt facile contages illa communicetur, quoniam ossa humore nimio putredini obnoxia maxime redduntur. Nec erit alienum loci eius fidelem interpretationem afferre, cum Linacri interpretatio minus exprimere Galeni sententiam videatur, qui non priuatim de Roma loquebatur, vt ex Linacri versione accipitur, sed vniuersè, & promiscuè, & inquit. Etenim nouimus dispositiones huiusmodi in thorace non rarò consistere; Romæ maximè, qui locus est destillationibus obnoxius; quamobrem necesse fuerit os laborantis excindere. hæc Galenus, atque vt sit promptum studiosis cum Græcis Latina conferre, non pigebit ipsam Galeni Græcam orationem transcribere ἴσμεν γὰρ δή που

τὰς τοι-

τὰς τοιαύτας διαθέσεις ἐν θώραξι συνισταμένας οὐκ ὀλιγάκις, ἐν Ῥώμῃ μάλιστα, τόπῳ ῥευματικῷ, ὡς ἀναγκασθῆναι τὸ πεπονθὸς ἐκκόπτειν ὀστοῦν. *Est igitur (vt redeam vnde huc diuerti) Roma locus destillationibus obnoxius, vt ex Galeno iactatur, propterea quod aer est humidior iusto, & praeterea crassus, & caliginosus est (vt quidem asserunt) item calidus, quippe australis, inaequalisque, & idcirco insalubris, morbidus, atque pestilens; namque humoris nimij cum calore soboles pestilentia est: quapropter mirum non sit, in vrbe crebrrimè, & p[?] breuia annorum interualla (vt in eiusdem vrbis annalibus legitur) pestilentiam grassatam esse: nam singul[?] fere dece[?]ni[?] morbus hic vrbem inuadere solitus est; hoc enim proditum est de anno vrbis conditae ccxc. ccci. cccxviij. cccxix. cccxxi. cccxxvij. cccxliij. ccclvi. ccclxiij. ccclxxij. ccclxxxix. cccxci. cccxciij. ccccvj. ccccxx. ccccxxij. ccccxl. ccccl viij. ccccl xi. ccccl xii. ccccl xxvi. ccccl xxiix. (omittimus reliquos quoniam historiam non teximus, hos verò tamquam exemplum ad rem illustrandam satis est attulisse.) vt appareat, intra annos ducentos, nempè à ccxc. ad ccccxc. pestilentiam vicies, & bis vrbem afflixisse, argumentum satis efficax ad docendum caeli Romani insalubritatem. quam etiam indicant diuersa morborum genera, quae videntur adeo in vrbe frequentia, vt consentaneum sit existimare, ab huius aeris vitio produci (si quidem Hipp. communes & populareis huiusmodi morbos, atque pestem ab aere inquinamentis pleno proficisci, professus est, vt docuit lib. de flatib.) scilicet ad ea, quae decantata sunt ex Caelio Aureliano, quae prius ab Asclepia-*

 de tra-

de tradita fuere, nempè febres cum delirio, & sopore, item incubos, de quibus Silimachus, & semitertianas, de quibus Galenus Com. 2. in primum epidem. & lib. de morbor. temporib. c. 8. ad hæc, inquam, podagra frequentissima est, coxendixq;, & omne artuum doloris genus: frequens item est calculus, tum renum, tum vesicæ, item sanguinis sputum, tabes (qui duo affectus sæpe sola aeris mutatione sublati sunt) et furor. Alexander Petronius autem, medicus Romæ celeberrimi nominis, lib. 4. de victu Roman. tria morborum genera, tamquam Romæ vernacula, notauit, & multis exposuit, Capiplenium (hoc enim aptè finxit vocabulum,) expletionem, languorem, siue celerem virium defectionem, quos affectus professus est ab aere proficisci crasso, denso, tepido, frequenti flatu, & vehementi, plenioreque victu, quo qui Romam incolunt, necessario vtuntur, ob vim debilem alimentorum, cum alioqui hæc copia eruditatem, & languorem, qui modo dictus est, producat. Alimentorum autem imbecillitatem docet hoc primum, quod ægri coguntur vberiùs hic, quam multis aliis locis nutriri, quodque Hispani, copioso Romæ cibo, propter imbecillitatem, adsueti, vbi in Hispaniam rediere, adducti consuetudine, parem illic ciborum copiam assumentes; qui longè magis, quam nostrates nutriunt; cum eos superare non possint, in graues citò morbos incidunt, & pleriq; moriuntur. quod eò maxime intelligitur sic euenire, quoniam paucis post annis eadem à Summis Pontificibus Sacerdotia, prioribus defunctis possessoribus, impetrantur. Alimenta vero imbecilliora, quam alibi, Romæ esse, ideo

profi-

profitentur, quoniam cum sit aer humidus, vel ea hic nascantur, vel aliunde huc importentur, ipsa quoque humescunt, macerantur, mollia, fluidaqȝ efficiuntur. Certè proditum est ab Hippocr. lib. 2. de dieta; alimeota locis riguis nata leuius alere. Sed & cultorum corporibus idem accidere, videtur necessarium. Romanum vero humidum, crassum, densumqȝ aerem esse, facile quisqȝ sibi persuaserit, qui situm vrbis respiciat: & obseruet, eam editis collibus ita circundatam Vaticano, Ianiculo, Pincio, Capitolino, vt in quadam veluti conualle locata sit, & amphitheatri speciem veluti exhibeat: quamobrem par est, humorem multum, vapores, inquam, crassos, densosqȝ multos in hac planitie concludi. Nec propterea salubrior est montium habitatio, cum vinitores, & sacrarum ædium, quæ in montibus sunt multæ, ministri, &, qui illic habitant, cæteri crebro, & grauiter ægrotare consueuerint, quapropter nunc etiam grauis aer videtur, in quacunqȝ vrbis parte verseris. Accedit agri Vaticani, ob insalubritatem infamis, habitatio frequens, & vndique, ob ædes Pontificias, ad eum locum concursus, quod noxium omnino videri debet. Est præterea obseruata magna huius aeris varietas, & inconstantia, & crebra in contraria mutatio, quam facile ferre natura hominis nescit, Galeno auctore lib. art. med. c. 86. & Hipp. lib. acutor. secundo: Idemque lib. de aere, aq. & loc. visus est illas regiones damnare, in quibus tempora magnopere, ac creberrimè mutantur. Sed Tiberis quoque insalubritatem huius aeris indicat, vt in parte efficit, nam saltem eam, quam alluit partem vapo-

ribus inficit, quos esse, perinde ac stagnorum, insalubres, non Celsus tantum lib. 1. c. 2. & Hipp. lib. de diæta tertio significauit, sed ipse Homerus quoque tradidit, si Plinio credimus, lib. 18. c. 6. Hi namq; fluminum auras, æque ac stagnorum, damnarunt, & Strabo lib. 5. Geograph. testatus est, Pæstum Oppidum in extrema Italia fuisse fluuij propinquitate insalubre. Accedit his vulgata de huius aeris insalubritate inter Principes viros fama, qui æstate, & autumno consueuerunt Roma, tanquam insalubri, vel se se recipere in oppida, & villas, vel alias adire vrbes, quarum constet Cælum esse clementius, & salubrius. Testimonium quoq; dat huius aeris insalubritati senum, qui Romæ sunt, numerus per quam exiguus: nam crebræ, grauesque ægritudines, à quibus iuniores interimuntur, insalubritatem aeris demonstrare videntur. Neq; non venientium ad vrbem multorum interitus, qui hoc solo nomine interire existimantur, quod Cæli Romani grauitatem ferre non possint. Postremo & illud eiusdem rei argumentum videri potest, quod Plato dicebat, vbi leges multæ, ibi & crimina multa, & vbi medici multi, ibi & morbos esse multos. Romæ sunt medici magno numero, ergo magnus morborum numerus, quorum causa potior aeris insalubritas videatur.

Nescio an aliquid reliqui sit, quo Romanum hoc Cælum in suspicionem insalubritatis venire possit. Iam locus exigit, vt quæ videntur posse aliud docere, exponantur, atq; in primis describendus est vrbis situs, tum nouus, tum antiquus, quod videri potest totius ædificij fundamẽtum, deinde Ciuium species, & valetudo expendenda; ex his enim

nõ ex alijs, de aeris huius salubritate, et insalubritate licet cognoscere, et iudicare. Erat igitur in montibus olim septẽ celeberrimi nominis vrbs locata (septẽq; vna sibi muro circundabit arces) qui sunt montes inter se fere pares altitudine, atq; ita dispositi, vt si Capitoliũ, rupẽq; Tarpeiã ascendas, conuersus ad meridiẽ Auentinũ aspicias: quẽ inter et Capitolinũ est, sed a meridie versus ortum hibernum declinans, Palatinus, quem vltra Cælius iacet. Ad ortum vero æquinoctialem conuersus Exquilinum cernas, & ad æstiuum; Viminalem videas a sinistris quem sequitur Quirinalis magis vergens ad Septentrionem. Ex eodem vero Capitolino retro conuersus ad Septentrionem, & Occasum videbis latè patentem planitiem, quam prisci Campum Martium appellarunt, quæ Tiberi alluitur ad Occasum, & Colle hortulorum clauditur ad Ortum, & Vrbis mænijs ad septentrionem; Hæcque pars septimam, & nonam regionem (vt olim erat vrbs in xiiij regiones distributa) continebat. Vltra Tiberim ad Occasum noua vrbs olim, & primum dicta Leoniana, nunc vulgo Borgo appellata, in agro Vaticano posita est. inter Occasum verò, & Meridiem vltra Tiberim similiter regio posita est quartadecima Transtiberina, planitiem occupans interiacentem Tiberim inter & Ianiculum. Hicq. tum veteris, tum nouæ vrbis est situs. Veterem voco, quæ fuit in montibus, nouam, quæ in Campum Martium translata, & in agrum Vaticanum, & nunc frequentior habitatur. Veteris autem sola colitur regio Transtiberina, & planities inter Capitolium, ac Tiberim iacens,

&

& altera inter Capitolium, & Collem Quirinalem, ac Viminalem: nam reliqua regio in montibus deserta, & sacris exceptis ædibus, omnis est vineis dicata. Vetus autem habitatio fuit olim ædium amplitudine, & magnificentia potius, quam dispositione earumdem, ac viarum, semitarumq; spatijs, ac bonitate spectabilis, quod nos ipse docet M. Tullius in illa de lege agraria contra Rullum, *dum Campanorum superbiam luderet, inquiens,* Romam *in montibus positam, & conuallibus, cænaculis sublatam, atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, præ sua Capua, planissimo in loco explicata, præ illis semitis, irridebunt, atque contemnent. hæc ille, quibus docemur, non adeo potuisse laudari vrbis dispositionem. Ædium vero laxitatem, & magnificentiam, quæ supersunt ruinæ indicant, & Plinius lib. 36. cap. 15. egregiè descripsit, inquiens, M. Lepido. Q. Catulo Coss. vt constat inter diligentissimos auctores, domus pulchrior non fuit Romæ, quam Lepidi ipsius. At Hercule intra annos triginta quinque eadem centesimum locum non obtinuit. Computet in hac æstimatione; qui volet, marmorum molem, opera pictorum, impendia regalia, & cum pulcherrima, laudatissimaque certanteis centum domos, posteaque eas ab innumerabilibus alijs in hunc diem victas. his ædium Plinius magnificentiam descripsit, cum qua tamen viarum, & semitarum non erat species comparanda, quod præter dicta à M. Tullio, eo quoque intelligitur, quod de Nerone proditum est à Suetonio, quasi offensum deformitate veterum ædificiorum (scilicet ita Neroni videbatur, cuius luxuriam*

vnus

vnus orbis terrarum non explebat) & angustiis, flexurisq; vicorum incendit vrbem, &c. Quæ verò nunc habitatur, ipsa quoque laxitate ædificiorum, & magnificentia, sed ædificandi ratione, viarum amplitudine, rectitudineq; & reliqua dispositione (quod antiquæ vrbi defuit) spectanda est; & (quod ad rem nostram pertinet) sanitati conseruandę conducit, uel magis, quam vetus habitatio, ut posterius dicetur. Sed non videbitur situs vrbis cumulate descriptus, nisi cum ipsa vniuersitate comparetur. Itaque sumemus è sideralis scientiæ auctoribus, Romam ab insulis Fortunatis (quod longitudinis ciuitatum, & oppidorum initium statuunt) distare gradibus triginta sex cum semisse fere: ab Aequatore autem (quod dicunt esse principium latitudinis) distare gradibus ferè quadraginta duobus, quot etiam ex ea polus supra horizontem elatus conspicitur. ex his vero comperimus, vrbem Romam in Italiæ parte media sitam esse tam secundum latitudinem, quam longitudinem; sed quoniam de latitudine videri potest difficultas, cum Roma tam propinqua sit mediterraneo vocato mari, tam verò ab Adriatico remota, inter quæ duo maria pars Italiæ maior excurrit; scire licet, in Orbis terrarum descriptione, vt locus, & flumina, sic quoque maria comprehendi, itaq; si Italiam sumas totam, & maris partes vtcumque ad eam pertinentes, ea locum in latitudine exactè ferè medium obtinuit, quòd hunc in modum demonstrari potest. Constituatur figura quadrangularis, cuius latus vnum ducatur per extremum Italiæ promontorium ad meridiem Leucopetram (hodie vocatur,

Capo

Capo dell'armi) & excurrat vlterius versus solis ortum, quantum vltra Leucopetram porrigitur Iapygium promontorium (hodie vocatur capo di S. Maria) & ex altera parte ducatur idē latus ad alterum Italiæ extremum, qua scilicet amnis Varus Italiam ipsam à Prouincia Narbonensi seiungit, sitq; linea. AB cuius longitudo sit partium quindecim



cuiusmodi trecentum sexaginta partiū est totius terræ ambitus, scilicet à gradu vigesimo nono, ad quadragesimum tertium, vt numerantur ducto ab Insulis fortunatis initio, vt ante dixi, huicq. parallela ducatur altera linea per extremos Italiæ fines ad septentrionèm (nam prior spectat ad meridiem) puta per Tridentum; sitque eiusdem figuræ latus, CD, Deinde iunganuur hæc latera duabus item parallelis lineis, quæ sint in eadem figura duo latera BC, AD, quæ singula sint partium similium septem, & semissis, scilicet à gradu trigesimo nono, vt à Ptolomeo proditum

est,

est, vsque ad gradum quadragesimum quintum, cum semisse; cum vero dicta sit Roma posita sub gradu longitudinis trigesimo sexto, & semisse, & latitudinis quadragesimo secundo: diuisis lateribus, AB, & CD, in parteis quindecim, ducatur à puncto E (qui est gradus longitudinis trigesimus sextus cum semisse) parallela E, H, lateribus AD, CB, secabunt se mutuò hæ duæ lineæ postremo ductæ nempe E, H, & F, I, in puncto G; quo loco Vrbs posita est, & est propositæ figuræ locus in latitudine exactè medius; nam si à puncto F, lineam ducas F, G, bifariam diuiseris lineam E, G, H. Secundum longitudinem autem Crassiore quadam ratione locus medius dicetur in puncto G, quoniam satis magno interuallo distat ab extremis F, I. Est autem Roma quinti Climatis locus medius, cuius tum dies, tum nox longissima horarum est quindecim. Non dicam esse ex Astrologorum opinione subiectam illi parti, quam in circulo vocato zodiaco, Leonem appellant, quoniam hærere sensibus malumus, quam opinionibus. Constat autem duo esse climata omnium temperatissima, Gal. ad 3. aph. 16. laudauit, quod per Cnidum, & est idem, quod per Rhodon ferri dicitur, & vocatur quartum, & lib. 2. de temperam. c. 6. laudauit suam regionem (quæ in confinio est quarti, & quinti climatis) temperatam esse professus. At Auerroes lib. 2. coll. c. vlt. quintum clima temperatissimum esse docebat. Ergo, si vniuersitatem spectemus, Roma posita est in temperatissimo climate quinto, & in huius quoque parte media: atque si solam Italiam spectes, posita quoque est (vt ostendi) in media eius parte:

¶ *Et rursus diuisis lateribus AD, & BC, in parteis septem, & semissem, ducatur a puncto I, (qui est gradus latitudinis quadragesim. primus cum dodrante) linea IF, parallela lateribus AB, & CD.*

atque adeo cordis instar loco positam nobilissimo profiteri valemus, quamobrem (quicquid Straboni visum sit, qui lib. 5. scripsit, necessitate potius, quam consilio Romam hoc loco positam) vel sapienti conditorum consilio, vel certè diuina prouidentia effectum est, vt hic locus ad habitandum eligeretur totius Italiæ imperio obtinendo, atque regendo aptissimus, vt è corde virtus animæ corpus gubernat vniuersum. Huic profectò vrbi, nec soli feracitas, nec maris (quod quindecim tantum millibus passuum distat) nec fluuij opportunitas deest; qui conditores inuitauit, vt Palatinum, & Capitolinum, angusto à Tiberi distantes tramite, primum habitarent; est autem tum maris, tum fluuij eiusmodi opportunitas, vt ex omnibus vniuersi Orbis terrarum regionibus commodissimè, & vtilissimè annona huc importetur. Victruuius hanc probauit sententiam lib. 6. c. 1. inquiens; Placuit, vt inter spatia totius orbis terrarum, regionumq; medio mundi, Populus Romanus possideret fines; namq; temperatissimæ, ad vtramq; partem, & corporum membris, animorumq; vigoribus pro fortitudine sunt in Italia gentes, quemadmodum enim Iouis stella inter Martis feruentissimam, & Saturni frigidissimam media currens temperatur; eadem ratione Italia inter Septentrionalem, meridianumque ab vtraque parte mixtionibus temperatas, & inuictas habet laudes; itaque consilijs refringit Barbarorum vires, forti manu meridianorum cogitationes; Ita Diuina mens ciuitatem populi Romani egregia, temperataq; regione collocauit, vti orbis terrarum imperio potiretur. hac ille.

Dictis

Dictis verò consentaneum est statuere, si vniuersitatem spectemus, vrbem loco positam saluberrimo, quoniam in media mundi regione temperatissima; ac si cui hoc arridet, addatur, Vere quoque medio, nempè vndecimo Calendas Maias, ædificari cæptam; vt huius loci temperies omni ex parte dignoscatur. Vtrum vero tunc Sol taurum, Luna libram, Iuppiter pisces, Saturnus, Mars, Venus, Mercurius scorpionem perambularent, vt veteres rerum Romanarum scriptores, auctore Tarutio mathematico, prodiderunt, hoc ijs curæ sit quærere, quibus Chaldæorum arrident commenta. Illud sideralis scientiæ studiosi statuerint, Venus, & Mercurius potuerint ne scorpionem perambulare, Sole taurum subeunte. Sed proditum est quoque a M. Tullio lib. secundo de diuinatione, ex eiusdem Tarutij auctoritate, tunc fuiße Solis, & Lunæ congressum: & eum quidem edypticum fuisse, à Plutarcho in Romulo scriptum est. quem locum malè aecepit Lapus Florentinus, cum ait, Lunam defecisse; Atqui in Nouilunijs Sol, in Plenilunijs autem deficit Luna. quod, qui vix de limine salutarit Astronomiam, ignorare non potest. Sed non præteribo, quæ loco eodem Plutarchus scripsit, hæc quidem fortasse, & huiusmodi, quia peregrina sunt, & magnifica, allicient illos magis, quam quia fabulosa, perturbabunt, qui in ea inciderint. sed hæc hactenus. Cum verò Hippocrates, & Aristoteles Annum salubrem dicat illum, cuius Vere, Æstate, & Autumno tempestiuè pluerit, & Hiems neque nimis rigeat propter gelu, neque immodicè caleat: summatimq. ambo velint, Annum salubrem esse,

qui ſit tum calore, tum frigore tēperato, et humore pariter, ac ſiccitate temperata: etenim pluuiæ modo dictæ, tempeſtiuæ ardorem æſtiuum temperant, & moderantur, & ſiccitatis vitium emendant. Simili ergo ratione, cur non eam ſalubrem dicamus regionem, in qua vis nulla caloris, aut frigoris, humoris, aut ſiccitatis cultores exerceat? Sanè Romæ frigus non adeo pollet, vt pellium vſum vulgò neceſſarium efficiat, vt in regione Trāſpadana, nè de Germania dicam, & ſimilibus locis: Neque calor æſtiuus tantus eſt, vt à priuatis, publicisq; muneribus homines arceat, et in vmbra toto die cogat requieſcere. Quòdſi Æſtate in meridie, ac tribus ferè horis ante, & poſt meridiem ardor percipitur, matutino tamen, & veſpertino tanta eſt plerumque temperies, vt ardorem meridianum faciat tolerabiliorem, & noctes plerumque frigidæ, quinimo frigidiores, quam in locis Tranſpadanis (quod aliquis fortaſſe mirabitur) diurni moleſtias ardoris mitigant; crebrique ſunt æſtate tum aquilonij flatus, eteſias Græci vocabant, tum occidui. Rara æſtas ſine pluuijs; quæ non ſemper noxiæ ſunt, vt vulgus putat, nam cum vere pluit, æſtate imbres ſalutares veniunt, nec (vt dicunt) æſtum ingeminant, immo temperant, quod ſi copioſi fiant imbres per æſtatem, ne quis exiſtimet, hoc eſſe Romæ peculiare, quaſi humidius Cælum pluuias ſæpe afferat, immò è contrario ſæpe Cælum perturbatur, pluuias minatur, cum tamen nubibus aliò conuerſis extra vrbem tantùm pluat locis propinquis; indè autem æſtus temperies ad vrbem perueniat. aliàs humidior æſtas aliquando, cuiuſmodi fuit anni proximi æſtas

incipiens,

incipiens, & desinens (nam media sicca fuit) non ob loci naturam, sed ob anni constitutionem; quemadmodum nonnumquam summa est Romæ siccitas, imbres rarissimi, cuiusmodi hac æstate, anno scilicet hæc ferente, quæ cunctis communia sunt tam salubribus, quam insalubribus regionibus, in quibus tamen imbres fieri solent. Cum ergo multa huic aeri eueniant, quæ locis penè omnibus salubribus euenire solent, propterea ægritudines nec frequentius, nec perniciosius in vrbe, quam alibi grassantur. quod nobis ipsi non fingimus, sed quia ita res habet, & quod est, narramus, & scribimus, & cum ijs loquimur, qui ipsi viderunt, & obseruare potuerunt. Annus seculi præsentis sexagesimus octauus fuit perniciosus, popularibus febribus multis continuis cum maculis rubris, quas peticulas dicimus, quamobrem defuncti sunt magno numero, præsertim in Burgo vocato, & in ea planitie, quæ posita est inter Collem hortulorum, & Tiberim; Annus verò sequens nihil habuit incommodi, nisi æstate variolæ, & morbilli grassantes multos interfecißent pueros, quod tamen non in vrbe tantum, sed extra quoque in oppidis multis euenit. Anno deinde septuagesimo hieme, & veris initio vis magna orta est pleuritidis, peripneumoniæ, & anginæ, quæ multa hominum millia vtriusque sexus, & omnis ætatis interfecit, cum interim aquilonij flatus vis maxima, & assiduè, & longo tempore irruisset, quamquam superiore anno per æstatem satis siccam in oppido Farnesij; vbi fortè fortuna versabar medicinæ gratia exercendæ, cum vix ex adolescentibus excessissem, similis fuit, vel deterior

terior morborum constitutio, quando præter dictas ægritudines, quæ nec sexui, nec ætati parcebant, multæ feminæ orto in mammis anthrace intra dies quatuor peribant; cuiusmodi morborum constitutionem Romæ hactenus non vidi. Non orti sunt autem ij morbi Romæ ob peculiarem huius aeris naturam, sed ob illius anni propriam constitutionem. Fuit etiam insalubre anni septuagesimi primi ver. morbi varij, etiam acuti, & perniciosi, sed non adeo vt priore anno populares; cui non dissimilis fuit annus septuagesimus secundus. sequentes salubriores; sed septuagesimus quintus insaluberrimus, æstate præsertim, ob dysenterias, & acutas febres sopore accedente perniciosas. Anno septuagesimo sexto maior salubritas, & septuagesimo septimo longè maxima, neque non & septuagesimo octauo: Quibus annis non multo insalubrior fuit septuagesimus nonus. Sed nihil interim Romani aeris peculiare. Annus octogesimus aliàs saluberrimus, & post frigidissimã Cæli constitutionem, vniuersalem tamen, Iulio mense desinente, apparuit vulgarissimus morbus, quem ridiculo nomine, Castronum Romæ dixerunt. Anno octogesimo primo per æstatem ægrotarunt multi, vt alias per id temporis fieri solet, tertianis, quartanis, continuis cum exanthematibus, dysenterijs: in Burgo autem longe plurimi ægrotarunt, & perierunt, salubrior fuit annus octogesimus secundus: ægroti pauci, & sanabantur plerique, & facili negotio; Huic non dissimilis octogesimus tertius. Octogesimus autem quartus vtcumque insalubrior, æstate accedentes ad vrbem grauiùs, & diutiùs laborabant, fluores ventris, dysenteriæ,

ter-

tertianæ, Ephemeræ, non multi moriebantur, aliàs ægri pauci. Octogesimus quintus, vere præsertim, pueris noxius ob variolas, ventris fluxus, et dysenterias, cæterum nihil insuetum, nihil proprium. Octogesimus sextus & incolis, & ad vrbem venientibus noxius, morbi varij, & acuti, & longi, et pueri laborarũt variolis, et morbillis: mortui multi, sed, quæ in vrbe acciderunt, nuntiatum est, vbique ferè similia euenisse. Fuit insalubris quoque annus octogesimus septimus, sed mitius actum est cum ægrotis. Morbi eiusdem ferè generis; & Vere grauius laborarunt. Anno octogesimo octauo ægrotarunt plures, & perierunt vere, quam æstate; non tamen fuit annus insaluberrimus; salubrior hoc fuisset octogesimus nonus; nisi Autumnus perniciẽ multis attulisset è plebe præsertĩm. Insalubrior annus nonagesimus, per æstatem enim acutis febribus multi moriebantur, & ij maximè, qui Collem Quirinalem incolebant, & Vaticanum. nullo delectu sexus, vel ætatis, aut ordinis, sed & plebs, & patritij æqua sorte ægrotarunt, quemadmodum & vere, & æstatis initio anni nonagesimi primi; cum ex acutis febribus caput potissimum opprimentibus, & alui fluore accedente, multi perierint. His comparatus annus nonagesimus secundus salubris dici potuit, non tamen defuerunt vere aliquæ febres acutæ, & interficientes, sed raræ, Autumnus grauis fuit accedentibus ad vrbem, non sine quorumdam interitu. Anno nonagesimo tertio Æstas insalubris morbo prius populari accedente, ridiculo nomine, vt anno octogesimo, quamuis hic mitior esset, deinde & obortis tertianis præsertim, quas duplices vocant, quar-

tanis

tanis, dysenterijs, fluoribus ventris, & acutis febribus; quæ aliquos interfecere. Biennio sequenti nihil rarum, aut insuetum; Anno nonagesimo sexto insalubrior æstas, acutis febribus, & interimentibus, non tamen crebris. Anno nonagesimo septimo non defuere ægritudines pro anni temporum ratione; sed Autumnus grauior vulgari morbo ex distillatione illi simili, qui anno quoque nonagesimo tertio inuaserat, & ferebatur etiam grassatus Neapoli, Venetijs, Mediolani, & in tota Transpadana regione, sed sine periculo: non defecere acutæ febres, & letales, sed & raræ ortæ sunt, & paucos occiderunt. De prioris vero anni, ac præsentis salubritate, vt de re omnibus nota, non est agendum pluribus. Nunc in Burgo, & inter collem hortulorum, & Tiberim ęgri multi: vt anno sexagesimo octauo, et alijs, quorũ modo mẽtionẽ fecimus, aliàs salubritas maior in vrbe quàm vmquã, totis triginta annis exstiterit. Ex hac autem narratione intelligere est, vulgares, perniciosasq; ęgritudines vrbis proprias non esse, nec crebriores in ea, quàm in reliquis Italiæ magnis vrbibus fieri, immo, si opulentiã ciuitatis consideraucrimus, quietis nesciam aulicorum, laboriosam plebis, et otiosam multorum nobilium vitã (sunt enim hę magnę morborum caussę) reperiemus, ægros in hac vrbe, quàm in alijs multis magnis vrbibus, pauciores. Sed rursus ex dictis intelligimus, vrbem Romam nullo proprio ęgritudinis genere laborare, & aliàs grauius in ea homines ægrotare, aliàs leuius, non proprio aëris, & regionis vitio, sed pro anni varia intemperie, & constitutione: ubi enim grauis aer est, iidem numquam desunt morbi, statisq;

tempo-

temporibus fiunt; idcirco æstate fugiunt loca maritima parum ab vrbe distantia, hyeme non timent, ac vere. sed in vrbe nec iidem semper, nec eodem tempore nascuntur: verùm, aliàs grauis æstas est, reliqua anni tempora salubria, aliàs Autumnus solus morbos facit, alias tantum ver. & accedentibus ad vrbem non æque semper grauis æstas, vel Autumnus. Sed ostendat aliquis grauis aeris proprias ægritudines; Non sunt hic tumidi ventres, lienosi, inflatis cruribus, flauo, viridiuè colore exangues, cuiusmodi in multis sunt locis maritimis, quæ nemo ignorat. Est à Strabone proditum lib. decimoquarto in Caria Cauniorum Ciuitatem æstate, & Autumno insalubritate aeris (quod erat apud omnes vulgatissimum) laborare solitam pròpter ardores, & fructuum vbertatem διά τε καύματα, καὶ τὴν ἀφθονίαν τῶν ὡραίων: *quamobrem Stratonici citharistæ vulgatum est dicterium, cuiusmodi foliorum exortus, eiusmodi, & virorum, græcus est versiculus* οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοιὴ δὲ, καὶ ἀνδρῶν, *dubia sententia, compararet nè multitudinem, an colorem frondium, & virorum, cum tamen colorem intelligi vellet; ægrè autem ferentes Caunij, eorum vrbem ita proscindi carmine, & tamquam insalubrem contemni, de Stratonico questi sunt, qui, grauiore dicto eamdem insalubritatem ænigmate notans, dixit, se numquam ausurum vrbem insalubrem vocare, in qua mortui deambulent: quod de Grossetto vrbe in agro Senensi dixisse memini virum bonum, amicum meum, cum responderet Claudio Burghesio Senensi loci eiusdem Episcopo, & amico item meo, qui eum interrogauerat, quid sibi de ea vrbe videretur; benè*

habet, inquit, Reuerendiss. Domine, quoniam video per istam urbem deambulantes defunctos. Sed hæc ab vrbe Roma longissimè absunt, cum in ea numero quidem frondibus, sed non colore comparari homines possint, & viuentes ambulent, non defuncti, degantq; bono habitu præditi, beneq; colorati, & speciosi tum viri, tum mulieres, senes, & iuuenes, formaq; & decora, & venusta; quamobrem diceret aliquis non iniuriâs, vrbem non tàm Marti, quàm veneri gratam fuisse, & idcirco fortasse Poetas cecinisse, primos auctores Æneam, & Ascanium filium summopere veneri commendatos. propterea mirum non est, veteres auctores de vrbe Roma ita locutos, atque si de huius aeris salubritate suspicio nulla vmquam fuisset: Strabo lib. 5. Geograp. Latium, in quo Roma, vocat felix, feraxque, paucis tantum locis exceptis maritimis, & palustribus, & ideo insalubribus, cuiusmodi circum Ardeam, & qui locus est medius inter Antium (hodie Nettuno vocatur) & Lauinium, & vsque ad loca quædam circa Setiam, Circæum, & Tarracinam. Hoc Strabo dixit, non taciturus; si qua de Romani aeris grauitate, & insalubritate suspicio extitisset; nam salubritatis locorum notandæ studiosus, hoc, agens de vrbe Roma, non omisisset. Non omisit, cum de Cannijs ageret, vt ante dixi; cumq; de Rauenna scriberet in quinto libro, significauit, aerem in ea grauem esse, quoniam regio palustris, sed emendari, maris æstu, & fluuijs, quicquid cænosi erat in vrbe, diluentibus: & addidit, esse dignum admiratione, quod in palustri loco aer esset innocuus, quemadmodum Alexandriæ, quæ in Aegypto est, euenit,

nit,

nit. idemq; dixit, agrum Tusculanum, qua ad mare vergit, esse minus salubrem: dixit quoque vrbem Sybaritarum insalubrem ob fluminis propinquitatem in paludes refusi. Nec omittenda, quæ lib. decimoseptimo dixit de Alexandria, quæ in Aegypto. Bonitas aeris notatu digna est, quam facit Nili incrementum tempestiuum, à quo vndiq; perfunditur: etenim aliæ vrbes iuxta paludes constructæ per æstiuos ardores aerem habent grauem, & suffocantem, namque in paludum labris lutosæ sunt ob vaporationem à solibus excitatam: cœnoso ergo elato sursum humore tanto, insalubris aer ducitur, & morbos prouocat pestilenteis. Sed Alexandriæ æstate ineunte, cum Nilus impletur, impletur & palus, & cœnosum nihil remanet, quod vaporationem prauam efficiat; sed & tunc spirant Etesiæ ex locis borealibus, tantoq; pelago, quapropter optime per æstatem degunt Alexandrini. Ergo cum hæc tam diserte de Alexandria scripserit, de vrbe Roma non siluisset, si quid aeris ratione notata dignum extitisset. immo dicendum est; Cum idem auctor lib. 6. dicat bonam, vel malam temperiem dignosci ex frigore, & calore, & his, quæ inter hæc media sunt, & idcirco Italiam commendet, quoniam inter summè cōtraria media est; ἐν μέσῳ τῶν ὑπερβολῶν ἀμφοτέρων κειμένη. Cum hæc, inquam, Strabo scripserit, dicendum est, Romam in Italiæ medio locatam, & à summè contrarijs, & paludibus longè semotam. grauis aeris crimine condemnari non deberet quod demonstrandum sumpserimus. & eo quoque confirmari potest, quod Plinius notauit lib. septimo, cap. 40. vnum fuisse quinquennium, quo senator nullus Romæ mo-

reretur; ab Anno vrbis DLXXIX. Flacco, & Albino Censoribus: eßet enim hoc incredibile in vrbe loco posita insalubri. Iam tandem sunt rationes examinandę, quibus contraria sententia declarabatur, & confirmabatur.

Prior ergo, ac fortaße potior, ratio erat ex Galeno dicente, Romam ob loci humidiorem naturam, esse obnoxiam destillationibus. quę duobus pręcipuè obseruationibus diluitur; Ac scire licet primò, si multos in vrbe destillationibus obnoxios comperimus (quod verum est) non protinus hoc aeri tribuendum, namque multis hoc euenit vitio parentum, & seminis, multis ob victus negligentiam, & varios errores, in quibus versantur: vbi satietas; quę Romę frequentißima est, vt est vrbs opulenta, in qua lautè viuitur; ibi pituita producitur multa, & destillationes fiunt, itaque multi vna victus moderatione restituuntur, & à destillationibus liberantur. distinguendum igitur aeris ne vitio ægrotet aliquis, an insito à parentibus, an proprio errore. Deinde licet animaduertere, quam nunc vrbem incolimus, longè esse aliam ab illa, in qua Galenus versatus est, cuius seculo, vt antea ab eius origine, & conditu, & multis post etiam seculis, montes, & quæ inter montes sunt, conualles colebantur, nos verò montibus relictis, in planitie habitamus: oportet igitur esse memores, olim vrbem cęnaculis elatam fuisse, vt ex M. Tullio ante dixi, & male dispositam, atque insuper domos, quæ erant in conuallibus, necessariò ob loci cauitatem, & profunditatem fuisse insalubres, nam conualles profundiores fuere, quoniam colles eminentiores, cum nec dum valles repletę, &

in

in montibus ędes essent altissimę, quas Romana potentia Cęlo æquauit (inquit Poeta) conuallium vero profunditatem eruta ædium vestigia, & ipsæ ruinæ, ac viarum strata effossa clarè demonstrant, docentq; conualles ipsas, amplissimis dirutis ædificijs, partim barbara manu, partim vetustate inuidiosa demoliente, repletas esse, & montes idcirco iã humiliores esse, quam olim fuerint, quod et docent ædium porticus vetustarum adhuc integræ, iam subterraneæ pro cellis viuarijs vsurpatæ: eoq; intelligitur, quantùm differt in eadem domo cubicula inferiora habitare, vel superiora; cum salubrius confessione omnium superiora habitentur; tantum differre, ob elatum nimis solum, inter præsentem, & priscorum habitationem; atque adeo nostram (quoniam quasi succrescit, & attollitur planities) quam veterem, esse salubriorem. adde probam viarum dispositionem, & ædium ipsarum structuram: cum enim ea ab Architectis habeatur ratio, vt vndique perflatus existant, nihil ad salubritatem aptius cogitari potest. Timuere olim aeris vitium; itaque fenestras domorum paruas, angustas, & raras, & in summis cubiculis struebant, vnde vix luminis aliquid cubicula illustrabat, quamobrem multis locis in ipso meridie, lucerna opus fuisse, omnino existimo: interim, qui domi erat inclusus aer perflatu carens, immotusq; manens, stagnantis instar aquæ, putridum aliquid concipiebat, quapropter homines grauiter ægrotabant, & facile contagiosis morbis capiebantur. iam contra res habet, nam fenestrarum multitudo, & amplitudo, quibus etiam interæ cubiculorum

ianuæ è regione respondent, quantum ad ornatum, & venustatem, tantum etiam conducit ad salubritatem, hocq; confirmatur euentu narrato à Varrone lib. 1. de re rust. cap. quarto, qui Varro Corcyræ ægrum seruauit exercitũ, immisso fenestris nouis Aquilone, & obstructis pestilentibus, ianuaq; permutata; quoniam ergo amplissima fuere Galeni tempestate ędificia in montibus, necessario quoque in conuallibus structæ ædes magna diei parte sole carebant, eoque, vt conuallium mos est, vapores nec à sole absumi, nec ab incolis vitari poterant; iure itaque locus humidus dictus, & destillationum genitor; sed alia est præsentis vrbis status ratio, quod etiam firmius declarabitur in his, quæ inferius dicentur; Ita tamen negamus, esse ob nimium humorum damnandum Romanum Cælum, vt non propterea siccum esse profiteamur. atque si quid est ex huius contrarietatis parte altera vitij, ex humore potius esse affirmauerim; sed non est tantus; neque huiusmodi humor, qui proprios, siue vernaculos producat morbos; neque illud temere admittendum, esse densum, & caliginosum, neque etiam leuiter affirmandum, esse calidum, & australem, & inæqualem, & ideo morbidum, & pestilentem. sed de morbis vernaculis dicetur posterius. fieri caligines Romæ, non est negandum, sed fieri crebriores, & densiores, quam locis multis, de quorum salubritate non dubitatur, hoc affirmandum non est: natus in Transpadana regione, noui illic per hiemem crebriorem, densioremq; caliginem fieri, & audiui prudentes & doctos viros affirmanteis Neapoli longè densiorem à se visam,

quam

quam Romæ, caliginem, immo hanc Vere, & Æstate ferè sæpius licet, quam hyeme Romæ cernere, & cum ita crebro fit nihil graue timendum esse, ex obseruationibus Alexandri Petronij accipere licet, cuius ea sunt lib. 1. de victu Romanorum cap. quinto, Verumtamen per id tempus, aut etiam paullò prius, hoc est mense Iulio, vel Augusto, si forte flatu mitius spirante caligo crebra diebus aliquot suboriatur, quia calor æstuosius ob aeris tum crassitiem, tum densitatem, deindè succedit, plurimos quidem, atque hos affecto potissimum capite, febricitare, sed paucos, quia breuem à caligine, & ab æstu occasionem habuerunt, perire. Sin secus accidat, quod videlicet plerique intereant. Id his, qui purgationibus importunis fatigati, vel in veternum quendam, vel in aliquod simile capitis malum, non naturæ, sed medentium culpa, incidunt, euenire. Est igitur aer hic crassus, & densus, cum caligo vagatur, sed ea non semper, neque tam crebro fit, vt huius aeris peculiare vitium dicendum sit, atque cum fit, nihil grauis, aut perniciosi afferre solet. Aerem deindè hunc calidum, & australē esse, vt calor significat excellentiā, τὴν ὑπερβολὴν, hoc verò negamus, & ante ostendimus, temperatum potius, quam calidum, dicendum esse. æstate calor vehemens est, quid mirum? hieme etiam ex gelu non nunquam rigor est, ningitq; non rarissimè, & ipsi Germani hiemem Romæ, quam in Germania nonnunquam difficilius ferunt. at (dicent) hiems austro flante tepescit, rectè, sed hoc est omnibus Italiæ locis commune. esse autem per æstatem cælum impensè calidum, & omni tempore in meridie calorem

insi-

insigniter crescere, hoc nulli regioni non euenit: alijs tamen magis, alijs verò minus, vt regio quaeque ad meridiem siue aequatorem magis, vel minus accedit. Nec Romanus aer vsque adeo australis est, vt non frequenter aquilone frigescat, quamobrem aliquando ipso Iulio mense hiberna vestis, & Solis, nè dicam ignis, consuetudo grata fuit. Sed saepè Fauonius spirat, & Zephyrus, vt altera ex parte Cacias, & Eurus, & Euronotus, & Iapyx, & lybicus: Et idem Petronius magnam constitutionum varietatem notauit, nam aliàs Aquilonius, & siccus aer est, alias Aquilonius, & humidus, & alias Australis, & humidus, alias Australis, & siccus, alias aestatis alia, autumniq; alia constitutio est, & alia, atq; alia aliorum anni temporum, quae cum sit tam multiplex constitutio, non facilè affirmandum est, & vitio dandum Romano aeri, quod australis sit. Sed cum iidem affirmant, inaequalem esse, negant esse simpliciter australem. Sed quaecunque inaequalitas est, ea perniciosa non est, vt posterius dicetur. Neque temerè assentiendum dicenti crebro Romae pestilentiam grassari: nam hoc de nostro seculo dici non potest, cum iam annos plures septuaginta nulla afflixerit Romam pestilentia. quod verò de superioribus, ac primis praesertim saeculis narratum est, id cautè accipiendum est: Namque cum veteres rerum Romanarum auctores crebrò pestilentiam incidisse per vrbem narrant, vel pestilentiae, siue pestis vocabulo abusi sunt, vel certè non aeris vitio, sed ab alia peculiari caussa ortam docebimus, dicamus autem prius de pestis vocabulo: quod propriè

signi-

significat genus morbi, quod & populare sit, & contagio communicetur, & quos arripit, vel omnes, vel plerosq; interficit, quapropter & Mortalitas à nonnullis dicta est; sic enim S. Cyprianus libellum scripsit de Mortalitate; hoc est de pestilentia. Alias pestis minus propriè dicitur de quocumque graui quidem, & populari morbo, sed ex quo plerique liberari solent. primum genus tam crebro Romæ contigisse, atque proditum est, hoc mihi persuaderi non potest, quoniam aliud ex auctoribus accepimus, qui, vt contagij nonnumquam meminerint, vt Liuius lib. tertio, D. 1. Coss. L. Ebutio, P. Seruilio, inquit, Ministeriaq. inuicem, ac contagio ipsa vulgabat morbos, & lib. quarto, D. eiusdem agens de consulatu A. Cornelij Cossi, & T. Quintij Pæni. 1 1. vulgariq. contactu in homines morbi, ita enim inquit; Sic alias nulla contactus ratio habita, vt Coss. C. Iulio II. & L. Virginio; nam, & si ait Liuius lib. eod. quarto, D. 1. magnum fuisse metum vastitatis in vrbe, & agris; tamen, omissa contactus mentione, eodem tempore Dictatorem ait creatum; & Fidenas captas: vt credi non possit, grassante morbo, qui contagione communicari posset, tantam rem perfici potuisse. Sed lib. septimo, D. tertiæ Coss. M. Marcello V. & T. Quintio Crispino, apertè satis nostram interpretationem confirmat, inquiens; Eo anno pestilentia grauis incidit per Vrbem, ægrosque, quæ tamen magis in longos morbos, quam in perniciales euasit. At pestis non perniciosa, propriè pestis non est dicta; quæ pestis propriè, perniciosa est. At pestilentiam, hoc modo sumptam, frequen-

ter euenisse, non est mirum, neque nouum, namque nostro quoque seculo similia contigisse, nemo potest ignorare, namque ex ante dictis possumus annum dicere pestilentem nonagesimum primum, nonagesimum, octogesimum primum, octogesimum, septuagesimum quintum, septuagesimum, sexagesimum octauum: cum his annis morbi inciderint populares, & letales, quamobrem non ex plebe tantum, sed ex patritijs, & principibus viris multi mortui sunt. Itaque pestis sæpè vocabulum translate acceptum existimo. Quod si denique persuasum aliquibus sit, veram semper pestilentiam fuisse, quæ tam crebro narrata est; non propterea statuere oportet, aerem Romanum pestilentem esse; cum satis constet ex his, quæ auctores narrant, ab alijs caussis exortam. Namque quo anno Coss. fuere A. Corn. Cossus T. Quintius Pænus grassata pestis est, quam Liuius lib. quarto Dec. 1. dixit apertè à siccitate ortam esse, quemadmodum & lib. 5. D. eiusdem L. Valerio Potito M. Manlio Coss. dixit pestilentiam ortam in agro Romano ex siccitate, & caloribus nimijs; ergo non ab aere, quem humidiorem esse statuunt. item lib. quinto D. 1: tristem, inquit, hiemem, siue ex intemperie Cæli, raptim mutatione in contrarium facta, siuè alia de caussa, grauis pestilensq. omnibus animalibus æstas excepit; at si peculiare huius aeris vitio incidisset, non fuisset dubitandum, ex intemperie Cæli nè, an alia de caußa: lib. quoque octauo D. eiusdem Cl. Marcello: T. Valerio Coss. fędus annus seu intemperie Cæli, seu humana fraude fuit. ergo non insito vitio, sed ob peculiarem illius anni intemperiem,

periem, vt ob nimiam ficcitatem, vel calorem, vt alias dixit, aut ob fraudem Matronarum, quas narrat deprehensas, cuiusdam indicio ancillæ, in Senatorum perniciem venena coquere. Sed non tam est agendum testibus, quam rationibus; itaque si verè pestis tam crebro incidebat, atque hoc aeri tribuendum fuit, vel fieri idcirco debuit, quia in aere vis aliqua pestilens per se inerat, quod non est dicendum, quoniam singulis annis, ac perpetuò debuisset pestis Romæ fieri, quod factum non est, vel aliundè vis ea pestilens proficiscebatur, aut à vaporibus, quos terra exhalabat, qui ob montium sublimitatem, ædiumque amplitudinem, & altitudinem, absumi à Sole non poterant, atque ideo humana corpora inficiebant; sed & hoc perpetuum fuisset: nam status idem vrbis erat perpetuus. aut proueniebat à ficcitate, vel æstu, (vt Liuius aliquando dixit) aut alia quacunque anni constitutione, quæ per singulos annos varia occurrit, & quæcunque sit, ab ea potest morbus aliquis in affecto vtcumque corpore produci, hoc autem non est huius aeris proprium, sed commune omnibus regionibus, in quibus, vt alia semper est constitutio hiemis, & alia æstatis, ita quoque alia est hoc anno, alia futura est altero anno constitutio, & alia tertio, & ita deinceps. Nec Hippocrates libro de flatibus dicebat, populares morbos a proprio loci vitio, sed promiscue ab aere nasci: cum distinguendum sit, proprium ne vitium regionis sit, quod non populares solum, sed vernaculos etiam eosdem morbos producat: an vero commune sit, a quo non vernaculi, sed qui solum populares sint: cuiusmo-

di hi sunt, de quibus disputatum est hactenus; proficiscifscantur. Esse autem Romanum cælum communibus aeris affectibus, & inquinamentis obnoxium, vt negandum non est; ita vitio ei dari non debet. Quod si tandem aliquis hoc sibi persuadeat, fuisse vitium Romani proprium aeris, cum iam longe rarior postremis, quam prioribus seculis, Romæ pestilentia oriatur (vt notum est) salubrius quoque iam Cælum esse Romanum, dicendum est, quam fuerit olim ob mutatas sedes à montibus & conclusis conuallibus, in apertam planitiem; De cuius loci salubritate præter ea, quæ ante dicta sunt, nonnulla quoque dicentur posterius. Ergo sumptum à pestis olim crebro in vrbe exortu, argumentum, ad aeris Romani insalubritatem demonstrandam, satis dilutum videtur. Iam perpendamus quæ de morborum quibusdam generibus dicebantur, quos morbos Romæ vernaculos cum veteres quidam, tum recentiores auctores testati sunt: quos, oportet intelligere, hoc ipsum nè Romanum Cælum, an aliud caussæ genus efficiat. Sermo erat primus de comprehensione, quã κατάληψιν Græci appellant, quam cum febre quotidiana Romæ frequenter accedere, Asclepiades testatus est. Verum, non eo demonstratum est, id morbi genus esse Romæ vernaculum: nam si dixero tertianam, quartanam, fluxum ventris, intestinorum difficultates, & alios non paucos Romæ frequenter euenire, nemo me arguet quasi mendacem; sed si eosdem dixero morbos esse Romæ vernaculos, nemo sententiam non damnauerit, nemo non exploserit: visæ sunt aliquando frequentes in vrbe, nostro quoque sæculo, febres

quotidie accedentes cum sopore lethargo simili, immo dum hæc à me scribuntur, aliquæ videntur, cuiusmodi ab Asclepiade descriptæ sunt; sed nec omni tempore, nec singulis annis apparent, uti morbi vernaculi solent, quos Græci ἐγχωρίους, & ἐπιχωρίους *vocāt, &* ἐνδήμους; *qui ab his longè differunt, qui vulgares dicuntur,* ἐπίδημοι, *vel* ἐπιδήμιοι; *itaque febrem illam Asclepiades vulgarem quidem, sed non vernaculam fuisse indicauit. Nec alia ratio est Incubi appellati, & semitertianæ; etenim morbi quoduis genus vulgare potest non esse vernaculum; idemque dicemus de podagra, & cæteris artuum doloribus, de sputo sanguinis, & reliquis ante memoratis: Sed & sanguinis sputum, & tabes peculiare aeris Romani vitium minime docent, licet sola nonnunquam aeris mutatione sublati dicantur; nam hoc morbi genus, vbique nasci solet, & longum est; in eaq. cœli mutatio cuiuscunq; ab Hippocrate laudata est. accedit quamuis vel omnes, vel aliqui vernaculi iure dicantur, posse tamen eos ab alijs caussis, non ab aere proficisci: Quis enim nescit Venere, & Baccho vires eneruari, pedes tentari? Sed praui nonnunquam cibi, potus genus aliquod vulgareis alias producit ægritudines, quod à multis proditum, nemini ignotū potest esse, ipseq. Petronius caussas exponens morborū, quos esse Romæ vernaculos professus est, non existimauit factum satis, aerem dixisse, sed adiecit ventorum impetum, copiam alimentorum, Solem, qui Romæ, ac præsertim æstate, & in meridie semper validus est, atque Vinum; Cum autem reliquæ caussæ euidentiores sint, quæ verò de aere dicuntur longè minus pateant, eo*

maiorem

maiorem in reliquis caussis culpam, quam in aere inesse, intelligimus. Vtrum verò aeris vitio alimenta Romæ nutriant minus, quam alibi, hoc esset paullò diligentius examinandum. Non enim tanta videtur vis argumentorum, quæ ad hoc probandum, proponebantur, vt persuadeant. Etenim, ægros Romæ vberius, quam alibi nutriri; Verè quidem dictum est; sed scire licet, Neapoli quoque vberius multo nutriri, quam in Hetruria, & vniuersa Gallia Cisalpina; immo vberius Neapoli, quam Romæ; nec tamen insalubre existimatur Cœlum Neapolitanum, aut eiusmodi, vt, quæ illic sunt alimenta minus, quam alibi, nutrire dicendum sit. Sed (dicendum semel est) & Neapoli iusto vberius, & in Gallia Cisalpina, atque Hetruria parcius, quam par est, ægros nutriunt; Romæ ratio quædam media seruatur, quæ optima, & saluberrima est; non quidem, quoniam nutrimenta sint infirmiora, sed quoniam hoc à recta postulatur ratione, à qua longius recedunt, tam qui parcius, quam qui vberius ægro alimentum offerunt; sed non hoc vno peccatur à medicis non paucissimis, ob male accepta veterum auctorum documenta: de qua re alibi disputandum est; Ausimq. asserere, si quis deposito contentionis studio, rei periculum faciat, id, quibus locis parcius ægri nutriuntur, euenturum, quod Romæ nostro euenit seculo, vbi ante annos quinquaginta parcissimè medici ægros nutriebant perinde atque locis ante dictis; cum primus omnium (quos nouimus, & fama est) Franciscus è Nursia animaduertit insalubrem esse victus illam rationem, quā medici passim ægris laudabant, & ex ea plures,

quam

quam vi morbi perire: quamobrem ausus ægros vberius nutrire oblatis contusis carnibus, et plenioribus ferculis, magni medici nomẽ in hac vrbe, et opes magnas consecutus est, quem imitatus Alexander Petronius, prẹter cætera ingenij monumenta, quibus de humano genere meritus est, inter medicos primas omnium calculis obtinuit: cum vtriq; non defuerint aduersarij veteris, plebeiæq; opinionis adsertores, quos tandem plebs, patresque, & ipsum seculum, docente vsu, à recta aberrare ratione cognouit, & statuit, & duorum, quos nominavi, medicorum sententiam comprobauit. Sanè (hoc vnum dixerim, nam de ea re interpretando Hippocratis præcepta, quæ præsertim in aphorismis continentur, abunde disputatum est) Hippocrates prædicat offerenda ægris eadem, quibus per bonam valetudinem adsueuerunt, solum curandum, vt ita parentur, ab imbecilliore vt virtute tractari, & euinci possint, & nihil tam damnat, quam importunam vasorum vacuitatem, κεναγγίην, & σύμπτωσιν; *& minus arguendum medicum docet, qui vberius, quam qui parcius ægros nutriat; sed hæc hactenus. Quod de Hispanis iactatur, in eo quoque nonnihil latet, quod esset penitius inspiciendum. Videant diligenter, an à ciborum natura periculum oriatur, an quia Romæ laborant plurimum, vt acquirant (labor autem sanitatis est custos) acquisitis verò amplis sacerdotijs, otiose in Hispania degunt (otium verò sanitatem oppugnat,) & de consueta ciborum mensura nihil demunt, licet non vsqueadeo magis nutriant, quam Romana alimenta: propterea breui moriantur? Differre autem alimenta inter se ob*

loco-

locorum varietatem, hoc negare, prorsus ineptum existimo: Vtque sunt alimenta alia infirmioris, alia valentioris materiæ, & alia mediæ; ita idem alimenti genus alibi, atque alibi infirmius, aut valentius oritur. Plus verò nutriunt, quæ æqua mole plus habent succi alendo idonei, aut etiam in minore mole, vel maiorem, vel parem copiam eiusdem habent succi, & huiusmodi oportet esse, quæ pari mensura plus habent ponderis, & concoquuntur difficilius, saltem magna ex parte, solidioraq. sunt, & diutius in eodem loco manent incorrupta. Esse autem ex loco hanc alimenti differentiam Theophrastus disertissimè docuit, cum lib. de plantis octauo, cap. quarto dixit: Athletas in Bæotia vix Tritici sextarios ternos absumere, qui Athenis quinos comederent, differentia profectò maxima: sed quid inde accipimus, quod aerem Romanum condemnare possit? neque Triticum, neque carnes (taceo pisces) Romæ nascuntur, sed in agro: at nostra de aere vrbis, non agri disputatio est: quod si frumenta, & carnes ex agro Romano minus alunt, quam Hispaniarum alimenta: hoc ad vrbis aerem non pertinet, nec docet huius aeris labem esse aliquam, quapropter insalubris existimandus sit. At (dicunt) aliundè huc delata, hic flaccescere, quam alibi, citius, macerarique, & promptè putrescere. Sed illud prius fuit declarandum, an hoc ab aeris, nascatur, an terræ vitio, vbi frumenta nascuntur: nam Theophrastus differentias frugum agnoscebat præsertim ex loci, hoc est terræ natura, ex seminis robore, & imbecillitate, ex aeris temperie, vbi sata sunt, non vbi post messem

sem conduntur: non tamen hoc dico, quasi verum existimem loca, vbi conduntur fruges, non conducere ad perennitatem, cum Varro lib. 1. cap. 47. admoneat; Triticum condi oportere in granaria sublimia, quæ perflentur vento ab exortu, ac Septentrionum regione, ad quæ nulla aura humida ex propinquis locis adspiret; & Columella lib. 1. cap. sexto, inquit. Granaria scalis adeantur, & modicis fenestellis Aquilonibus inspiretur, nam ea Cæli positio maximè frigida, & minimè humida est, quæ vtraque perennitatem conditis frumentis afferunt: Sed non idcirco concluditur, cum horrea debeant esse sicca, & frigida, Romanum verò Cælum calidum, & humidum sit; ergo celeriter fruges hic corrumpentur; Hoc, inquam, non efficitur; nam contra, videor mihi videre conditas fruges Romæ *non aliter, quam alibi, durare, si horrea benè habeant, Cælum autem Romanum temperatum esse docuimus, non calidum, & humidum. Sed quod est temperatum, vocant aliqui calidum, & humidum, comparatione frigidi, & sicci, quoniam media contraria extremis dicuntur esse. Sed de re eadem posterius dicenda quædam remanent. Hactenus declaratum est, morbos, qui vernaculi putantur Romæ, ab aeris vitio minimè nasci; & cum alimenta sint Romæ, quam alijs quibusdam locis, infirmiora, hoc pariter non fieri Romani aeris culpa, qui non est simpliciter calidus, & humidus, vt assumitur, sed temperatus, atque adeo salubris. Sed persuaderi videbatur, humidum debere Cælum Romanum existimari, quia Roma in conualle ferè quadam locata est, & montibus, instar amphitheatri, cingitur:*

tur: quapropter in ea densi, crassiq. vapores multi includuntur, & reliqua antedicta. cuius argumenti iam indicata infirmitas est. nam, vt in angustis, profundisq; conuallibus, & quae verè conualles sunt; haec fieri necesse est; ita Romae fieri negamus, quoniam non est conuallis; nisi velimus conuallem quoque vocare Galliam Cisalpinam totam, cum planities sit posita inter Apenninos montes, atque Alpes; ampla est planities, in qua Roma posita est, & satis est magna inter colles distantia, quod est à conuallium natura alienum: est enim vallis angustus inter edito montes locus, concauus, quem αὐλῶνα Graeci appellarunt, ob angustiam, & similitudinem quamdam vocalis instrumenti, quod Graeci αὐλόν appellant, vbi non angustia solum, & longitudo, sed & concauitas est consideranda, Eustathio auctore ad Iliad. λ. & ρ. & Odiss. χ. cuiusmodi non est hic locus, vbi nunc Roma locata est, ac propterea vndique perflatur, neque minus admittit frigidos, & siccos flatus, quam humidos, & calidos, ac nullum est flatus genus, cui aditus non pateat, vt ipsa obseruatione probari facile potest, & auctor potest esse idem Petronius lib. 1. de victu Roman. cap. tertio, vbi ventos vrbem exercentes promiscuè memorat Aquilonem, & Boream, Austrum, & Africum, quamobrem si ventos respicias, Roma non minus Aquilonia, quam Australis dicenda sit. Itaque nec crassi, & densi vapores in vrbe, vt conuallibus continentur, sed à Sole toto die vrbem illustrante absumuntur, & à flatibus quoque vndique spirantibus dissipantur. Quod verò de Vaticano dictum est, vbi vocatus

Burgus

Burgus est positus, hoc etiam rectè accipiendum est; nam insalubrem dixerim partem illam, quæ ipsi monti Vaticano subiecta est, & porrigitur ad Ianiculi radices, vbi fornaces existunt, etenim vapores, quos Tiberis propinquus exhalat, partim à Sole vergente ad Occasum illuc trahuntur, partim à flatu tum ortiuo, tum aquilonio pelluntur, & in angulo veluti quodam clauduntur; vndè nec Auster obiectu Ianiculi, nec Zephyrus, vel Fauonius obiectu Vaticani potest illos repellere, & omnino dissipare, sed pars reliqua, quæ maxima est, in ampla satis planitie posita longè salubrior est: accedit non perpetuo, nec singulis annis, nec in omni anni tempore in ea vrbis parte morbos grassari, nec genus aliquod morbi vernaculum illic esse, vt de reliqua vrbe dictum est superius; quamobrem, de ea vrbis parte non aliter, quam de reliqua vniuersa statuendum est; quod viæ nonnullæ in vrbe tota ob angustiam, & ob ædium altitudinem vel flatus aliquos non admittant, vel Solis vim non vsque adeo sentiant, vt & moderatè calefieri, & à densis vaporibus expurgari possint, & contra esse aliquas soli nimium expositas, quamobrem æstate non absque periculo frequentantur; iam hoc est commune vrbium omnium vitiũ, non aeri, sed architectis tribuẽdum. sic quoque non aeri Romano tribuendi sunt morbi, qui montium cultores exercent, sed annis, qui multa ferunt venientes, & multa adimunt recedentes: propterea non perpetuo, nec singulis annis ita passim in montibus morbi nascuntur, nec idem genus semper oritur, vt quibus locis vere grauis aer est, euenire solet.

De inconstantia quoque quod propositum est, ut verum esse fateor, ita profiteor ex eo, longe aliud effici, quam contrariæ opinionis adsertores sibi persuaserint: Etenim varietas, & frequens contrariorum successio temperiem, & mediocritatem quandam, atque ideo salubritatem inducit: ita enim contrariarum vis caussarum frangitur, vt obesse non admodum possint: quos morbos ab Aquilone, vel ab Austro fieri notabat Hipp. lib. aphorism. tertio, non videmus produci, nisi cum diu alteruter flatus spirauerit; non vbi alter alteri post paucos dies, aut eodem die succedit: & illa, quam putant ab Hipp. damnatam varietatem; quoniam Autumno similis fit, quod matutino, & vespertino Cælum hoc sit frigidiusculum, meridie caleat vehementius; saluberrima est, neque propria Autumni est (quicquid de ea re magni viri statuerint) nam in omni anni parte varietas eiusmodi sentitur, æstas sit, vel hiems, Autumnus, aut ver. nox die semper est frigidior, itaque hyemi comparatur; à nocte vero maxime distat meridies æstatis similitudinem exhibens, atque vt Ver, & Autumnus media sunt inter contraria anni tempora, ita matutinum tēpus, & vespertinum sunt inter meridiem, & noctem media, & quemadmodum per anni tempora caloris fit, ac frigoris optima, & necessaria temperatio, ita fit per dies singulos, diei partibus sibi perpetua serie succedentibus. quæ fuit etiam Hippocratis sententia lib. secundo, & sexto Epidem. vbi ostendit, esse dierum, & annorum proportionem, & Autumnum ait esse vespertino tempori similem, vt inde reliquam similitudinem colligamus, quod & fecit

Theoph.

Theoph. lib. sexto de causs. plant. cap. 24. cum ait odores meridie sentiri minimè, maximè matutino, minus vespertino; atque vt cum diei horis, ita cum anni temporibus pro ratione mutari; itaque intelligimus hanc quotidianam frigoris, & caloris vicissitudinem esse naturalem, & in omni anni tempore (pro temporis tamen ratione) apparere: hyeme meridie sereno tepor est aliquis, mane & vespere frigus maximum: æstate contra, meridie æstus, mane, & vespere æstus aliqua temperies. Sed neq; Hipp. dixit vsquam, Autumnum esse inæqualem, aut docuit ob inæqualitatem morbos fieri in Autumno perniciosissimos, & alias exponebam, Autumnum perniciosum ob recessum Solis, qui vitæ fons esse dicitur: certè præcipuum est Diuinæ prouidentiæ ad vitam communicandam instrumentum, vt enim accessu vitam, & recessu interitum, sic & sanitatem accedens; ideo Ver saluberrimũ; & perniciosas recedens affert ægritudines, itaque veri contraria Autumni natura, quod attinet ad salubritatem. si quæras, cur non sit hyems perniciosior Autumno, cum longius Sol abest, respondebo, nec æstatem esse saluberrimam, cum sol propinquissimus nobis est. quamuis autem Autumnus non differat ab alijs anni partibus inæqualitate; Hoc tamen non efficit, quin vere dictum sit, morbos autumnales exspectandos cum aeris inæqualitas est, & vt eadem die modò frigus, modò calor sentiatur. Sunt enim duo diuersa, & quæ seiungi possunt, autumnum esse grauem, & si inæqualitas non adsit; & constitutionem inæqualem morbos autumnaleis significare. vbi & aliud notandum est; differre, futuros morbos, & futu-

ros

ros huius, vel alterius generis. futuros morbos non est facile ad prædicendum, sed si futuri sint, facile st genus illorum prædicere. Etenim ex grauibus constitutionibus non ægrotant omnes, sed propensi quidam; at quid si nemo sit alicubi propensus? nemo ægrotabit, ergo si prædixeris futuros morbos simpliciter, facile errabis, neque docet hoc Hippocrates: at, si futuri sint, docet Hipp. quod genus exspectare oporteat. Docet scilicet ex quibus caussis, qui morbi fieri solent, sed sæpe caußarũ vis irrita. Sed ad rẽ, noxia est eodẽ die caloris, frigorisq. crebra successio, sed non quæ vno die, vel altero tantum, sed si fuerit multorum dierum & veluti vniuersalis constitutio, quæ longè alia est ab ea, quam Romæ obseruarunt; quoniam mane, et vespere aer frigidior sit, meridie calidior; quæ cum frequens, & quotidiana sit, & naturalis, & salubris varietas est, quæ verò insalubris est, quam modò descripsi, ea nec quotidie Romæ fit, nec alioqui frequenter: si fiat aliquando, non est mirum, quia Roma quoque pars est huius vniuersitatis, quę vbique varietati obnoxia est: nec est propterea Cælum Romanum insalubrius cæteris existimandum. illud verum est, nõ vsqueadeo Romæ diuturnas esse eiusdem generis constitutiones & eadem anni parti fieri transitum à frigore ad æstum, & contra, & non ita multos dies boream spirare, aut Notum, & omnino varium hoc Cælum dicendum esse. nec inuentu difficilis caußa, si credimus dictis ab Hippocrate lib. de aere aquis, & locis, sunt enim Colles vario situ ad Austrum, ad Aquilonem, ad Ortum, et Occasum, sunt & inter hos plana, & conualles eadem varietate, atque idcirco vario modo

aerem

aerem moueri, variosq. cieri ventos necesse est. Neque varietatem hanc vt insalubrem notabat Hippocrates, immo laudabat, quod homines produceret viriles, magnanimos, audaces, & bellicosos. Mutationes vero in contraria damnatas esse tam à Galeno; quam ab Hippocrate; hoc verum quidem est; sed hi loquebantur non de quacumq; subita mutatione, sed magna, & immodica ἐξαπίνης, *inquit Hippocr.* μέζω πολλῶ τῦ μετρίυ μεταβαλλόμενα, *vt à maximo frigore ad æstum, & contra, sic in aphorismis quoque* τὸ κατὰ πολὺ, καὶ ἐξαπίνης, *quo pacto Galenum quoque subitam damnasse alterationem intelligimus; sed est hæc aeris Romani varietas intra quamdam mediocritatem, quæ (vt experimentis compertum est) sine incommodo ferri potest, & plerumque salutaris est, vt ante dicebam.*

De Tiberi; qui vapores exhalat insalubres; quid dicendum sit, is intelliget, qui animaduerterit, non in Italia solum vrbes amplas iuxta magna flumina positas; sed in Germania, Gallia, Hispania, & in omni orbis terrarum parte, nec propterea insalubritatis nota inustas esse. Non potest igitur vniuersè, & promiscue dici, et statui fluminum propinquitatem insalubrem esse, sed Celsus peculiariter loquebatur de his, qui stomacho sunt imbecilli, & Hippocrates de victus ratione per æstatem obseruanda: monebat enim Soles vitandos, & frigora tum matutina, tum vespertina, quæ flumina, aut stagna, aut niues exhalant: non quia vitiosum, & insalubrem simpliciter aerem efficiant, sed quia per æstatem calida corpora non absque periculo in locis frigidioribus versantur. Nec Strabo dixit (si mentem eius inspicias

ſpicias diligenter) Pæſtum inſalubre ob fluminis propinquitatem, ſed ob paludes potius propinquas, in quas refundebatur fluuius, & regerebatur: quod de vrbe Roma dici non poteſt. Nec difficile eſt interpretari conſilium illorum, qui per æſtatem, et Autumnum Romæ eſſe nolunt; trahit enim illos ſæpenumero villarum amœnitas, & recreandorum animorum honeſta, & laudanda cupiditas: Neque Horatius veritus eſt ea de cauſſa inuitare Auguſtum vt fumum fugeret, ſtrepitumq. Romæ, & nonnumquam altiore conſilio alij cauſſati quidem ſunt aeris inſalubritatem, ſed abierunt, vt Summi Romani Pontificis ſeueritatem declinarent, quod factum eſt præſertim ſedente Vrbano eius nomine Sexto.

De ſenibus vero, quos paucos dicunt Romæ reperiri, duo ſunt exponenda; Verè ne dictum ſit, pauciores hic ſenes eſſe, quam alibi, atque ſi ita res habet, hoc ab aeris vitio, an aliũde proficiſcatur. quod ergo ad numerum attinet ſenum, hoc conſtat, vbique paucos reperiri ſenes. quia plerique ante ſenium decedunt: quod ſi ætates annorum numero definire velimus, & ſenes vocemus, qui annum ſuperant quinquageſimum, hos innumeros tam Romæ, quam alibi reperiemus; Si ſenes tantum dicere velimus, decrepitos, hoc eſt vltra annum ſeptuageſimum, & octogeſimum, hos vbiq. pauciſſimos videre eſt, et qui de longæuis ſcripſere, operæpretium putarunt non eos tantum, qui annum centeſimum ſuperarunt, commemorare (qui ſanè vbique rariſſimi reperiũtur) ſed nonagenarios, et octogenarios; Sic enim Hieronẽ vixiſſe aiunt annos nonagintaduos, & Platonem octogintaunum;

cum

cum vtrūq; cum longæuis adnumerēt. Cuius ætatis homines Romæ numquam defuerunt iam inde ab eius origine; quando Numam, & Tullū reges octogenarios, & Tarquinium item Regem nonagenario paullò maiorem inter lōgæuos Lucianus memorat. M. Varro, vt de se ipse scripsit, anno octogesimo scribebat libros de re rustica: M. Cato annos natus octuagintaquinque excessit è vita (vt est à M. Tullio proditum) ne Perpenam memorem, qui vixit nonagintaocto, & M. Valerium Coruinum, & Metellum Pontificem, qui centum annos vixerunt: Pollio Romulus centesimū annum excessit, ille, qui rogatus ab Augusto, quanam ratione maximè vigorem illum animi, corporisque custodißet, respondit. Intus mulso, foris oleo. memorāt quoq; fœminas, vt Liuiam Rutilij, quā ferūt excessisse annos nonagintaocto, Statiliā nonagintanouem, Terentiam Ciceronis centum & treis, Clodiam Ofilij centum & quindecim, Luceiā mimam, quæ anno centesimo pronuntiauit in Scena, Galeriam Copiolam, quę producta est in scena agens annum centesimūquartum: Samullam, quam Plinius, Asconio Pediano auctore, scripsit, vixisse annos centum & decem. Neq; huic sæculo desunt, qui in amplissimis dignitatibus (quod est difficillimū) annum octogesimum exceßerunt: vt Gregorius XIII. Pont. Max. qui obijt anno ætatis octogesimoquarto, Paullus Quartus, qui vixit annos octogintatres, & Paullus Tertius, qui vixit annos octoginta vnum: Viuuntq; hodie multi ex patritiorum quoque numero, qui excessere annum octogesimum: quod si inferioris ordinis homines excusseris, et plebem ipsam, incides facile in aliquem cētenarium,

 nedum

nedum nonagenarium: atq; adeo intelliges Romam eisdem naturæ muneribus, ac iuribus frui, quibus vrbes fruuntur aliæ, de quarum salubritate non dubitatur: Quod si tandem, pauciores in vrbe senes reperiri contenderis, esto vt lubet, quæ caussa? non aer; sed viuendi ratio duplici præsertim nomine: nam, vt in vrbe opulenta, luxus plurimos perdit, & voluptas: nec minus obest honorum cupiditas, & ambitio. His enim de caussis multi tantum à salubri victus ratione aberrant, vt & senescant celeriter, & moriantur: propterea visus est mihi Alexander Petronius rectè existimasse, cum libro quinto de victu Romanor. scripsit, si quis aptam viuendi rationem seruauerit, victurum non modo annos septuaginta, sed centum, & plures, & testatus est à se cognitum, qui vixerat annos centum & quinque, & alterum, qui centum & vndecim, & tertium, qui centum & vigintiunum: vixit autem ipse Alexander annos octoginta & vnum, diutius victurus, si potuisset illa vitare incommoda, quæ morbum grauem, & curationi rebellem induxerunt, qui morbus eum toto postremo quadriennio detinuit. scripsit autem lib. 3. de victu Rom. c. 24. paucos esse in vrbe senes, non ob aeris insalubritatem, sed quoniam plerique sunt in iuuentute, & reliqua vita intemperantes.

De accedentibus autem ad vrbem dicturus, accipiam primo, vulgatam esse opinionem, eidem periculo obnoxios esse recedentes, atque accedentes, sed non toto anno, Verum per æstatem dumtaxat, quapropter multi magna religione dicam, an superstitione obseruant hoc quasi præceptum, siue regulam: Aestate scilicet neque veniendum ad vrbem, neq;

ex eadem recedendum: tametsi non leuia sunt contra hanc opinionem argumenta. Nam qui huc accesserũt, iter vel longum, vel breue peregerunt. Ex longo itinere non est mirum aliquos, itinere peracto, ægrotare, & interire, aer licet Romanus insalubris non sit: namque locorum mutationes, & victus ægritudines pariunt, vt libro de octimestri partu scriptum est ab Hippocrate. & quemadmodum sola cœli mutatio, in deterius licet, nonnumquam sanat, vt legere est in Corn. Celsi lib. 2. c. 1. (pessimum, inquit, cælum est, quod ægrum fecit, adeo vt in id quoque genus, quod natura peius est, in hoc statu, salubris mutatio sit) ita in melius mutatio nonnunquam insalubris potest esse. Sed hæc est omnibus regionibus communis ratio: nec est propterea cælum Romanum accusandum. cui accedit, in longis itineribus errata committi multa, quæ iter facientes fatigant, & morbis obnoxios reddunt, quibus etiam, itinere peracto, capiuntur: ac, si longius iter peragendum fuisset, in ipso itinere capi potuissent: vt multi quoque in diuersorijs, & hospitijs, ante perfectum iter, perierunt, quod nemo ignorat. Aegrotãt etiam aliqui ob subitam mutationem à labore, motu, & agitatione ad multam quietem, vt recte notatum est ab Alexandro Petronio lib. 4. c. 21. de victu Roman. Sed & aliqui ob solam aeris mutationem ægrotant (fateor) sed non aeris vitio, verum peculiari contrarietate, & naturali quadam, priuataq. inimicitia, quæ non in omnibus, nec in plerisque (quippe non ab aere) sed in paucis reperitur. Alij demum ob insuetos tum cibos, tum potus, & (vno verbo) ob mutatam victus rationem ab Hippocrate indicatã mor-

bis capiuntur: quæ ad aeris salubritatem, vel insalubritatem non pertinent, nec Romani aeris propria, sed omnibus regionibus communia sunt. quod est, & ipsum notissimum. Accedit, quotidie per æstatem multos Romam accedere, & ex ea recedere, ex tantoque numero paucissimos morbis corripi. postremo quædam etiam sunt annorum constitutiones (vt ante quoq; indicaui) in quibus locorum fiunt mutationes magis, aut minus salubres. quapropter, qui tam facile de aeris Romani *salubritate diiudicant, videtur ad illos dixisse Aristotel.* πρὸς ὀλίγα βλέποντες ῥᾳδίως ἀποφαίνονται. *Hacq. de longis itineribus dicta sunt. ex breuibus autem idem timere periculum, videtur esse hominis studio bonæ valetudinis intemperanter abutentis, constatq. tota æstate Roma Tibur, Tibure Romam iri, Roma Tusculum, Tusculo Romam nullo prorsus bonæ valetudinis detrimento. Qui in huiusmodi mutationibus in ægritudines incurrunt, hos reperies aliis potioribus de caussis ægritudini obnoxios fuisse, & ægrotasse. Cur autem pari loco habeant discessum Roma, atque ad eandem accessum, non satis percipio. Si namq. aer insalubris est, deseri quocumque debet tempore, ac magis, cum insalubrior existimatur. hæc sane paritas nullo auctore iactatur.* R*atio quoq; infirma, tā esse timendā migrationē ex insalubri in salubrē, atq; ex salubri in insalubrē. immo e contrario, in omni naturæ parte mutatio ad meliora plerumq; saltē probatur. accedit, iam satis (vt arbitror) demonstratum esse, aerem* Romanum *insalubrē non esse. At (inquiēt) nititur vulgata opinio experimētis. Sed paullo ante aperte satis indicatum est, aliar esse*

euiden-

euidentiores, & efficaciores morborum his, qui peregre proficiscuntur, caussas, quam aeris vitium.

Postremum erat, nescio an ioci gratia propositum argumentum; Multos Romæ medicos esse; ergo & morbos esse multos; & idcirco aeris insalubritatis suspicionem augeri. Verum hic illud eßet prius definiendum, sint nè Romæ medici multi, quia necessarij omnes, an quia Vrbe ipsa indigeant, & sportulis multi, speq. magis, quam pane nutriantur? Sed sint multi necessarij, vt verè sunt; ergo morbi multi; rectè, sed eò non efficitur, aerem damnandum, quoniam morborum, qui Romæ fiunt, vel communes, vel proprij, caußæ sunt aliæ manifestæ; cibus, potus, somnus, Venus, labor, vltra mediocritatem ab Hippocrate probatam; Neque par est ratio legum, & medicorum, multæ leges, ergo, multa crimina, rectè, multi medici, ergo multi morbi, non efficitur; nam leges singulæ pro singulis criminum generibus necessario statuuntur; at singulis morborum generibus non est opus singulis medicis, quia vnus omne genus morbi potest curare; Et euenit aliquando, Medici vt sint plures, quàm ægroti.

FINIS.

EIVSDEM AVCTORIS
CARMEN.


HIS Ego tentabam vanos de mentibus, vltor
Mendacis famæ, sensus, vanumq. timorem;
Vt sua Romano constaret gratia Cælo;
Vellere, tu interea dũ ALDOBRANDINE (Senatus
Grande decus sacri, & Romanæ gloria pubis)
Ter magni curas patrui, minuisq. labores,
Atque studes primum, enixe & contendis amatam, at
Criminibus foedam infandis, lustrarier Vrbem,
Expertam nuper crudelia funera, nobis
Credita vix, queis Scylla ferox, & sæuus Agyrtes,
Impius atque Typhon, Rhæsusq. infamis habetur:
Non Eriphyle vna ostendet iam vulnera nati,
Non semel inuisi fratres, natique, patresq.
Dicentur posthac (nec sunt ea crimina Cæli
Romani, sed quisque volens sibi retia fingit
Queis capitur, sibi quisque dolos meditatur, & arte
Sæpe sua moritur) diras auertite pestes
Sancte pater CLEMENS, et tu spes altera PETRE,
Dent sontes scelerum pœnas, maneant sua dignos
Præmia (quod facitis) nam prisca, et auita Quiritum
Pectoribus virtus vestro rediuiua virescet
Munere, quo iam &, dicta magis, quam visa, redibunt
Tempora, Saturno (vt fama est) regnata, nec vlla
Præclarum nomen reticebunt secula vestrum.





ORTVS
SEPTENTRIO
MEDIES
OCCASVS
VIVARIO
P.NOMENTANA
P.TIBVRTINA
P.MAGGIORE
P.SALARA
P.PINCIANA
AGGER TARQVINI
VIMINALE
QVIRINALE
SVBVRA
EXQVILINO
P.ASINARIA
CELIO
ACQVA
P.LATINA
P.CAPENA
P.OSTIENSE
TRAIANA
ANTONIANA
CAPITOLIO
PALATINO
P.FABRITIO
P.PALATINO
M.CITORIO
MAVSOLEO
P.POPVLO
MOLE
P.ADRIANO
TEVERE
P.SISTO
P.CESTIO
P.SVBLICIO
VATICANO
P.PERTVSA
P.TORIONE
P.PORTESE

MVTIO MATTHAEIO
FELICI ALMERICIO
MVTIO BVFALO

Almæ Vrbis Conseruatoribus



Marsilius Cagnatus S. P. D.



VOD faustum, felix, fortunatũq; sit S.P.Q.R. cum saluberrimus annus (si multis alijs comparetur) Tiberis inundationem portentosam (vt vulgus opinatum est) secutus sit, licuit mihi, exacto annuo interpretandi labore, his æstiuis diebus paullo liberius otio frui litterario. atque interim, cum amicos nonnullos sæpe audiuerim repetere illam, quam habui de dictæ eluuionis minis, opinionem; quas nihili æstimandas iudicaui, & scripsi in ea, quæ paucis ante mensibus à me edita est, de inundatione Tiberis disputatione; tacita quadam hortatione sum adductus ad id præstandum, quod amicis item quibusdam aliquando fere pollicitus eram; atque adeo de Romani aeris salubritate præsentem commentariolum exaraui, quo vulgarem de eiusdem insalubritate aeris opinionẽ vel conuellerẽ, vel vtcumq; labefactarem. quod tam gratum futurum, quam potest esse vtile, P.R. mihi persuaseram. Hoc quidem feliciter mihi contigit, vt vobis Coss. hæc à me prodirentur: quos vt peculiari quadam obseruantia colo, ita mei studiosos esse, non obscuris argumentis intellexi. quapropter fuit optandum, quod euenit, vt aliqua ratione meam cum erga vos, tum erga S. P. Q. R. voluntatem significarem, eiusdemq. voluntatis publicum tandem aliquod monumentum exstaret. Valete Romæ Idibus Augusti.

INDEX RERVM,

Quæ in hoc commentario continentur.



H Ca-

C.

D.

E.

F.

G.

H.

Hi-

R.


S.

T.

V.

Va-

FINIS.



Errata, etſi non grauia, ſic tamen corrigenda.

Pagina 6	*verſu* 26.	*laquor, lege*	*labor.*
15	22.	*vt locus,*	*vt lacus*
21.	2.	*ab anni*	*ob anni*
22.	2.	*multa*	*multæ*
26.	8.	*iniurias*	*iniuria*
29.	9.	*viuarijs*	*vinarijs*
16.	28.	*interæ*	*iuternæ*
30.	14.	*hunorum*	*humorem*
31.	8.	*æſtuoſius*	*æſtuoſus*
33.	25.	*ægroſq.*	*agroſq.*
46.	22.	*parti*	*parte*
48.	8.	*Auguſtum*	*Mæcenatem*
52.	28.	*aliar*	*alias*

In figura Romæ MEDIES *lege* MERIDIES



REGESTVM.

ABCDEFGH.

Omnia sunt folia integra.



ROMAE,

Ex Typographia Aloysij Zannetti. M. D. XCIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

DE
VRBANA FEBRES
CVRANDI
RATIONE
COMMENTARIVS
APOLOGETICVS.

Auctore

MARSILIO CAGNATO



ROMAE, Apud Aloysium Zannettum. MDCI.

SVPERIORVM PERMISSV.

PETRO ALDOBRANDINO CARDINALI AMPLISS.

CLEMENTIS VIII. PONT. MAX. NEPOTI.

MARSILIVS CAGNATVS. S. D.



VM ad ſplendidiſsima tua munera, Princeps Ampliſsime, Camerarij decus auguſtum acceſſerit; ideoq; Vrbanarum præſertim rerum, & (quæ non eſt omnium poſtrema) publicę ſalubritatis perpetua cura futura ſit tua; propterea libellus hic, in quo de Vrbana febribus medēdi rationę diſſeritur, vt in tuo nominę appareret, maxime conſentaneum viſum eſt. qua ergo ſoles humanitate ſtudioſorum conatus amplecti, nouum clientis tui laborem excipere, ne recuſes, oro, atque obſecro. Quod tibi, pro fauſto & felici ex ſplendidiſsima, & ampliſsima legatione reditu, meæ ſit debitæ gratulationis argumentum. Vale.

¶ 2 Reue-

Reuerendiss. Pater.

Commentarium apologeticum Marsilij medici doctiss. iussu Reuer. Paternitatis tuæ (cui mea semper parendi mens) sedulò, & summa cum voluptate perlegenti, nil mihi in eo obiectum est, quod ad rem medicam non pertineat, quodque tutò & Christianè legi nequeat, tamquam ex veræ Christiana mente deprompeum, & id quidem disertè adeo luculenter, & appositè explicatum, vt omni ambigendi occasione abiecta, prælo committi posse, merito suo iure, dignissimum censeatur, vsui & pergratum futurum si per ora hominum increbrescat.

Reu. Pat. tuæ humillimus seruus,

Io. Baptista Comparottus.


Imprimatur, si videbitur R. P. M. Sacri Palatij
B. Gypsius pro Vicesg.

Imprimatur
Fr. Angelus Baronius Venetus Mag. & Socius R. P. M. Sacri Palatij Ord. Præd.

DE VRBANA FEBRES CVRANDI RATIONE COMMENTARIVS APOLOGETICVS.

Marsilio Cagnato medico auctore.





EMPER aliquid Vrbs Roma parit, quod excitat admirationem, & , præ nouitate, tam aduenarum, quam ciuium animos commouet, ingeniaque solicitat. Quo ex genere vox quoq. est, quam, & e summo quidem loco missam, nuper audiuimus, Vrbanos errare medicos, quia, in febribus præsertim tertianis, medicamentum iubent purgans potari vocatum lenitiuum, siue minoratiuum, & quia hoc ante venæ sectionem efficiunt, & inde longum nimis spatium, ac tempus terunt iura exhibendo, quæ vocant alterata, neglecta interim humoris vitiosi vacuatione: & quia, postremo, vino ægrotis interdicũt; *Quæ vox populum fere vniuersum, ac viros præsertim principes; & purpuratorum Senatum commouit quidem primum, & suspicione perculit non leui*

(quippe de communi ſalute agebatur) ſed (vt ſæpe in Vrbe in fumum abire contingit lucem) eadem non multo poſt timeri minus cœpit ; ac iam ſua imbecillitate obſoleuiſſet penitus, & obliterata eſſet, niſi nuper litterarum commendatione viſa eſſet vires aliquas reſumere, ac veluti reſpirare, ac reuiuiſcere. Quod, quia non præſentibus ſolum, ſed poſteris quoque prodeſſe, aut obeſſe poteſt, propterea, vt antea ſatis videbatur obuiam itum reprehenſionibus, voce voci reddita, ita nunc res poſtulare viſa, vt litteris aduerſus litteras certamen ſuſcipiatur : vt, quid populo ſalutare ſit, cognoſci, & ſtatui ab ijs poſſit, qui in curanda hominum valetudine ſtudium, atq; operam ponunt. Quod munus egregie præſtitiſſe videri poterant Ioannes Cecchius, & Ioſephus a Luna, præclari, ac nobiles medici, qui, ſcriptis iam editis, hoc argumentum proſecuti ſunt ; ſed quia neuter mandatas litteris reprehenſiones expendit, quod illis ſcribentibus editæ non dum eſſent, propterea operam non, fortaſſe, luſero, ſi illas ego ad diſquiſitionem reuocauero. Quem ſuſcepi laborem non meo, ac proprio ingenio adductus, aut inuitatus otio (quod qui me norunt teſtabuntur) nihil enim à me tam alienum eſt, quàm otium, & contentionis ſtudium ; ſed multis hoc à me exſpectantibus, qui ſibi perſuaſerint, poſſe me, cùm ob ætatem, & diuturnam in Vrbe commorationem, de ratione curandi ab optimis medicis ſeruata, teſtimonium dare: tum publici muneris ratione, noſtram medendi methodum cum

illa, quæ à vetustis auctoribus, magnis viris, tradita est, conferre, & veteres de recta medendi ratione sententias mediocriter interpretari. Sed fortasse res tam longa præfatione, & excusatione non indiget. propterea rem confestim aggredior.

Cum autem prima sit quæstio de purgatione, quæ vocatur minoratiua, & ante venæ sectionem damnatur: primum loco primo excitatam de nomine quæstionem examinabo, deinde de huius generis medicamenti vsu, & opportunitate disputabo. Ergo aiunt minoratiuum, aut lenitiuum vocari medicamentum illud non debere, quod ante missionem sanguinis exhibetur: etenim minoratio (*ita enim loquuntur*) ex Galeni, & Hippocratis præceptis 2. aph. 29. & lib. de optima secta ad Thrasybulum cap. 29. 40. & 41. morbi caussam respicere debet, & ob id humorem peccantem: hoc autem ipsi non intendunt (*hoc de Vrbis medicis dicitur*) cum nonnisi præcedente concoctione illam moliendam esse censent. *hæcq; prima est reprehensio, cuius summa est, minoratiuum dici non posse, quia nolunt eo noxium humorem minuere, quoniam minime concoctus est. huic vero altera subiungitur, quæ vsum & vires eiusdem medicamenti respicit*; eo nempe humorem noxium minui non posse, quia primas mesenterij venas vis eius non pertransit, ideo humores intra venas, vel in ipso hepate peccanteis educere non potest, præsertim biliosos: Sed & probatur speciatim non esse dicendum lenitiuum, cum experi-

 mento

mento constet, sæpius stante corporis dispositione humores æruginosos illo medicamento fuisse eductos. *& hæc de nemine*.

Non fuit contẽdendum cum solis Vrbis medicis.

Hic autem primum licet mirari, hanc concitatam cum medicis Vrbanis litem, tanquam ij soli hanc, quæ damnatur, medendi rationem sequantur, vel ea ab Vrbis schola peculiariter manauerit. Si quidem constat, in schola Patauina, *Bononiense, Papiense, Pisana, & cæteris Italiæ scholis, immo & in omnibus Europæ gymnasijs eandem doceri, & à medicis, qui vbique sunt, vsurpari, vt ex ijs, quæ mox dicenda sunt, intelligetur. Sed illud quoque mirum est, quibusdam verbis dissimulari vocem illam, minoratiuum, nempe his*. Nescio sub quo nomine, aliqui enim ipsum minoratiuum appellant, aliqui lenitiuum. *Ego vero plane ignoro, quo bono consilio res vulgatissima dissimuletur.*

Minoratiua medicamẽta passim recepta.

Medicamenta vocata minoratiua recipiunt Germani, consule Andernacum in secundi commentarij dialogo septimo. recipiunt Galli, consule Fernelium lib. meth. med. 3. c. 9. qui Conciliatorem imitatus, diff. 126. tibi distinguit medicamenta purgantia in valida, mediocria, & mitiora, vt intelligas postrema hæc esse, quæ ab alijs vocantur minoratiua. Sed, ne dubia sit Gallorum sententia medicorum, Rondeletius in sua methodo promiscuo vsu horum vocabulorum, lenientia, minuentia, minuereue materiam, hoc ipsum indicauit, quod dissimulatur, ac tandem aliquando Rondeletius vsurpauit ipsam vocem minorati-

num

uum, vt in synochi curatione licet videre. Hollerius leuia appellat id genus medicamenta, latinitatis (vt puto) studio, sed in suis ad Hollerium notis Duretus minoratiua vocare veritus non est. recipiunt eadem & Hispani, quandoquidem Vallesius ad lib. 2. acut. 9. & 10. medicamenta in ea distinxit, quæ proprie expurgant, & ea, quæ vocant lenientia, cuius distinctionis fecit quoque mentionem ad prima sect. aph. 22. sed longe vberius Ludouicus Mercatus lib. 1. de Indicatione medica differit de minoratiua purgatione. Quid vero de Italis dicam? sed fortaße nostri seculi auctores probabuntur minus: itaque satis esto, Vetustiores memoraße quosdam.

Notarunt Thadæus Florentinus, Iacobus Forliuiensis, & Vgo Senensis in eorum quæstionibus ad primæ aph. 22. & secundæ aph. 29. Purgationem aliam esse minoratiuam, aliam eradicatiuam, nec dubium, quin ea sit minoratiua, quam Auicenna lib. 4. Fen. 1. tract. 2. c. 7. appellauit lenificationem, vt mirum non sit, lenitiui quoque, aut lenientis medicamenti nomen promiscue pro minoratiuo receptum. Sed & Galenus origini allusit huius vocis minoratiuum ad aph. 2. sect. 29. inquiens, quo citius coctiones fiant, melius esse per initia vacuare, vt minorem redditam eo modo materiam (ὅπως ἐλάττονα τὴν ὕλην γινομένην.) facilius possit natura concoquere. Ergo, quia minor materia redditur, dictum est minoratiuum: quapropter vox ea nulla ratione dissimulari debuisset: de vocabulo leni- Lenificatio apud Auicennã.

Minoratiuo quę materia educatur.

tiuum inferius differetur. Sed obijcitur, non posse vocari minoratiuum, quod humorem noxium non educit, & Vrbis medicos nolle hoc tentare, quia initio non est concoctus humor, qui non est, nisi concoctus sit, euacuandus. Sane Galenus ad 2. aph. 29. (cuius verba modo retuli) indicauit, initio vacuatione minorem materiam eandem reddi, quæ concoquenda est, Itaque nonnulli, vt Senensis, ad prima aph. 22. descripsere, minoratiuam euacuationem illam esse, quæ partem materiæ morbi educit, non autem totam, vel tantam, vt propterea morbus remoueatur, quam descriptionem laudarunt aliqui ex posterioribus. Verum enim vero etsi ea potest descriptio sumi ex dicto Galeni loco, non tamen inde efficitur, minoratiuam dici non debere nisi materiæ concoquendæ portio educatur: etenim cum Galenus dicat, vtile esse materiam concoquendam minuere (vnde accipiunt minoratiuam vacuationem materiæ noxiæ partem aliquam auferre) non propterea negat, vtile esse minuere materiam non concoquendam: si qua sit, quæ alias copia lædat, etsi morbum ipsa forţasse, non efficiat; Vnde accipi possit, vacuationē nō esse minoratiuam, si materiæ non concoquendæ portio adimatur, vt gratia exempli, Si in tertiana, bilem concoquendam initio minuere, salutare est, non idcirco inutile est, sanguinem non concoquendum, qui copia sit grauis, minuere, quam proprie minutionem aliqui præsertim Arabes vocant. Itaque Thadæus Florentinus ad 2. aph. 29. dixit, Vacuatione minoratiua ple-

thoriam

thoriam auferre (quamuis minus proprie dixerit plethoriam) quo significauit, ea, quam vocat minoratiuam vacuationem, non auferre humorem, qui morbum facit, sed quemcumque, qui, quacumque de causa potest ægro molestus esse, cui Galenus allusit lib. meth. ij. c. 15. cum ait, in omni febre putrida salutarem esse venæ sectionem, vt facilius, si quid concoquendum est, concoquatur. illic enim humor minuitur non concoquendus, sanguis scilicet, non vt qui morbum fecerit, sed, vt qui copia molestus sit, & noxij humoris, à quo morbus nascitur, concoctionem, siue maturationem impediat. quo ex loco Auicenna 4. p. c. 20. hæc scripsit. Multoties præterea in febribus phlebotomia, licet necessaria non sit, efficit vt natura fortis fiat super materiam; *atque ideo damnandi non sunt, qui vacuationem initiò factam, vocant minoratiuam, licet morbi caussa proprie non minuatur, sed illa tantum excrementa educantur, quæ sunt ægro corpori vtcumq; molesta. Sed & ratio altera est penitus falsa, eo medicamenti genere humorem noxium non posse minui: nam si febris tertiana, exempli gratia, oritur a bile flaua, quotidiana à pituita, quid prohibet, quominus mel rosaceum soluens vocatum, electarium catholicon, & quæcumque huiusmodi noxios humores in ventriculo, & intestinis, vel etiam (quod in reprehensionibus conceditur) in venis mesenterij contentos educat? immo & ex remotioribus locis, si maiore mensura offerantur; vti contra, quæ medicamenta creduntur peculia-*

res humores violentius educere, vt scamonea, si parcius sumantur, vix commune intestinis contentum cibi excrementum duxerint, quamuis enim medicamenta differant inter se genere, & facultate, multum est tamen positum in mensura : Itaq. *Hipp. 4.acut.64. inquit, si murmurante ventre, excrementa quoque fuerint biliosa, scammonio modice purgato,* ὑποχάθαιρε μετρίως *sed & minus quam modice hoc posse fieri credimus experimentis : sed dicto medicamenti genere, idonea oblato mensura, tum biliosa, tum pituitosa educi. itaque & materiam noxiam euacuari, experimentis item compertum est, & ab auctoribus probatum: exempli gratia audi Mesuen,* Casia fistula clementer & innoxie bilem & pituitam purgat leniendo, Tamarindi bilem purgant. Manna bilem clementer purgat. Epithymum atram bilem, Thymus pituitam crassam: *ergo id genus medicamenti noxios humores educit, nec potest hoc impediri, licet hoc ipsum medicus nolit, nam additum est in reprehensionibus (nolle medicos humorem crudum euacuare) namque si potest sirupus rosaceus bilem siue crudam siue coctam ducere, ducet vel inuito, si æger sumpserit, medico:* Itaq. *negari nequit, noxios humores ab hoc genere medicamenti educi. quod etiam confirmatur eo, quod in eisdem reprehensionibus subiungitur,* his medicamentis sæpe humores æruginosos educi, *& ideo lenitiua dici non debere; sed æruginosi humores biliosi sunt, & molesti, & ideo vacuandi, cumque vacuentur eodem me-*

dicamen-

dicamenti genere, certe constat materiam noxiam, eodem genere vacuari, & minui posse: Sed & præterea in hac reprehensione male acceptum est lenitiui vocabulum, non enim ideo vocatur lenitiuum, quia noxios humores non educit, sed quia blande ac leniter, & citra violentiam (si cum altero genere comparetur) hoc præstat: Itaque Mesues dicebat in primi libri theoremate primo, pruna, myxa, casiam fistulam, & similia leniendo expurgare; quamquam lenientis, siue lenitiui vocabulum vulgo pro eodem accipitur, quod minoratiuum appellatur: atque licet Mes. leniens accipiat pro genere quodam medicamenti, quod secernitur ab alijs generibus, quæ purgare dicuntur, alia soluendo, alia comprimendo, alia lubricando, tamen, quia lenientia dicta sunt, quoniam leniter purgant, blandeque & sine labore; receptum est, vt, translata voce, omne genus, quod minoratiuum quoque dicitur, lenitiuum appelletur, quod consilium medici videtur esse blande, leniterque purgare, etsi non leniendo vt casia, sed purget comprimendo vt myrobalani, vel lubricando, vt psyllium; promiscue igitur minoratiua & lenitiua vocantur: Itaque & Auicenna genus hoc purgationis (vt ante dixi) lenificationem appellauit. Quod vero in eadem reprehensionis parte de humorum cruditate & concoctione dictum est, illud posterius expendendum est. Atque his factum satis videri potest quæstioni, quæ erat de nomine excitata, & demonstratum, iure merito mendicamenta quædam vocari

Lenitiuũ cur dictũ.

B mino-

minoratiua, posseque humores noxios ab eisdem educi. Omitto interim, quod alibi exposui, medicamenta omnia, quantum ars medica requirit, minuentia tantummodo esse, nullum, quod radicitus humores noxios educat. Iam *de eiusdem medicamenti opportunitate disserendum est. Cum ergo medici accusantur, quod in febribus præsertim tertianis ante vena sectionem medicamentis vtuntur, dubitari primum potest, Vtrum initijs morborum purgatio salutaris sit, de qua re non videtur disserendum, quoniam in reprehensionibus omnino laudatur purgatio initio facta, quæ sententia Hippocratis est loco vulgatissimo 2. aph. 29. Itaque dubitatur insuper, vtrum ea debeat purgatio venæ sectionem præcedere, & de hoc in præsentia sumus disputaturi.*

Vtrũ ante venæ sectionẽ purgatio sit opportuna

Duo vero sunt rerum capita seorsim consideranda; nam primo de toto febrium genere ea dicuntur, Veræ artis, ac methodi ratio postulat, vt ab vniuersalibus ad minus vniuersalia sit procedendum. Cum ergo vtraque multitudo in febribus putredinis caussa est, & omnium humorum, quæ plethoria appellatur, & vnius, quæ cacochymia, propter dictam regulrm, in euacuationibus hic ordo seruari debet, vt prius plethoria, quam cacochymia euacuetur, illa autem per sanguinis mißionem fit; *Cum vero hæc ita prodita sint, hoc loco prima posset facti quæstio moueri, expendendumque, vere ne dictum sit, plerosque medicos, qui præsertim in Vrbe medicinam faciunt, eam serua-*

re

re rationem, quæ damnatur; ac quid ego facere consueuerim, alijs dicendum relinquo, quid plerique alij præstent, non ausim affirmare; quamuis, nec sim iuuenis, nec ociosus, & sæpe socios medendo habuerim, qui de me, vt de illis ego, testimonium dare poßunt. Sed non suscepi rem hanc testibus agendam, perpendimus rationes. Itaque *cum alia sit ratio febrium intermittentium, & alia continuarum, ac præsertim quæ acutorum genere continentur; ausim profiteri, multos quidem aberrare, cum in acutis morbis initio, siue ante, siue post venæ sectionem, medicamenta præbent, etsi lenientia, ad purgandum: hoc enim alienum est maxime à veterum auctorum documentis: nam cum* Hippocr. *2. Aph. 29. vniuerse dixerit, initio morbi, si videatur, mouendum esse, quod pertinet promiscue, (Galeno interprete) ad venæ sectionem & purgationem; ab eo præcepto non exemit quidem morbos acutos, namque in ijs quoque initio purgandum est; immo in valde acutis, si turget, eadem die, nec differendum statuit, 4. aph. sed rarum purgationis vsum debere esse in acutis admonuit. 1. aph. 24. quoniam huius generis morbi remedium est peculiare sanguinis missio 4. Acut. 19. in quam sententiam Galenus disertissime loquutus est ad 2. acut. ij. inquiens,* Vbi igitur non solum acutus morbus fuerit, & cuiusmodi est pleuritis, verum & cum febre vehementissima multo magis vitanda est purgantis medicamenti administratio, atque per sectionem venæ vacuandum magis, etiamsi ad hypo-

In acutis purgatio damnata.

condrium dolor pertingat, nempe etsi minus quidem auxilium, quam per purgationem, securius tamen multo existet, immo nullum ex eo, quod per venæ sectionem fit, periculum impendet, eo discrimen maximum subeunte, quod per purgationem tentatur. *hæc Galenus, quæ maxime conueniunt cum dictis ab Hippocrate ad docendum, quantum periculi sit in vsu purgationum in acutis præsertim morbis; cum tamen medici multi, non sæpe solum; sed semper, & in omni morbo, licet acuto, medicamentis purgantibus vtantur, siue clementer, siue violenter noxios humores educant. sed quod in hac parte peccatum est, non est proprium Vrbis, sed est orbi vniuerso commune. audi Vallesium ad 1. sect. aph. 24. de ea re disserentem*, Mihi tamen, *inquit*, longe aliam sententiam videtur Hippocrates modo ferre, eamque, quantum ego censeo, verissimam, & cuius ignorantia grauissime peccant hoc tempore medici. Nimirum in morbis acutis raro esse vtendum medicamentis expurgantibus; quia talium medicamentorum vsus febribus perpetuis & magnis est aduersissimus. *hæc Vallesius. Ergo in acutis morbis suspecta purgatio est, est tamen interdum in eisdem necessaria; sed scire est, cum in acutis purgare licet, purgationem ex Galeni sententia præire, & sanguinis missionem sequi: nam scriptum est 4. aph. 10. medicare in valde acutis eadem die, si turget: itaque si turget, initio, & antequam sit missus sanguis, purgatio præibit sanguinis*

missio-

missionem: cumq; purgationem in acutis initio Galenus opportunam ex eo præsertim statuat, quod turget, cumque raro turgeat, raro erit locus purgationi: sed cum erit, purgandum prius erit, quam sanguis mittendus, quia turget: nam, quando turget, confestim purgandum, Hippocrates docet. Est tamen in hac re difficultas aliqua ob vocabulum, turget, sed hanc alibi examinabam. Saltem habemus, recepta Galeni interpretatione dicti Aph. 24. sect. 1. purgandum in acutis prius, quàm sanguinem mittendum. Si vero agatur de intermittentibus, ac præsertim de tertianis, quarum aliæ dictæ sunt exquisitæ, aliæ nothæ, Unde habetur, in tertiana exquisita sanguinem mitti prius oportere? num ab auctoribus? Atqui Galenus in eiusmodi tertianæ curatione describenda, sanguinis nusquam meminit, soletque dubitari, an conueniat, in hoc febris genere sanguinem mittere. Num igitur ab experimentis? at scimus, infinitos ex tertiana exquisita liberatos, omissa penitus sanguinis missione, & alios multos eadem purgationi postposita, vt illos prætercam, qui neutro auxilio adhibito sanati sunt. Sorderent fortasse nostræ obseruationes, consulat studiosus lector Petri Foresti *obseruationes de febribus lib. 3. obseru. 5. 7. & 15. vbi narrat aliquos hac febre liberatos absq. vlla venæ sectione, & in reliquis de febre huiusmodi obseruationibus narrat quidem sanguinem mißum, sed sumpto prius purgante aliquo medicamento. Vnam in obseruat. 12. narrat, huiusmodi febrem, in qua sanguinem*

In tertiana exquisita sanguis nô semper mittêdus.

guinem mitti prius curauit, postea vero purgans medicamentum offerri. cum tamen omnes liberatos affirmet. De tertiana vero notha Galenus lib. 1. ad Glauconem inquit, Si oportuerit, sanguinem ab initio statim mittes; *ergo cum dicat, si oportuerit; demonstrat, non esse vena sectionem in eo morbi genere semper necessariam. Si dicat aliquis, Galenum in Quartana sanguinem mittere, & ideo quærat; cur non & in tertiana notha mittendus sit, is animaduertat, ab eodem dictum, si sanguinis abundat, si crassus, & niger est, quo significauit non semper faciendum, neque per se indicari à quartana sanguinis missionẽ, quod de tertiana pariter dicendum est. At saluberrimum est in omni febre putrida sanguinem mittere (ita enim ex Galeni lib. xi. meth. c. xv. vociferantur) fateor, sed duo sunt notanda, alterum, etsi quid est salubre non tamen semper necessarium: alterum finis, cuius gratia Galenus ait saluberrimum, ait scilicet, vt natura exonerata ab eo, à quo tanquam à sarcina premitur, facilius concoquat, & expellat: hoc est, si sanguinis adsit copia, quæ naturæ officia impediat. Sed potest non adesse, ergo non semper sanguis mittendus, atq; si quis persuasit sibi, in omni putrida febre promiscue, & absq. vllo discrimine adesse vocatam plethoriam cum cacochymia, sane is à scopo longissime aberrat: ita enim liceret concludere, febris adest putrida ergo & plethoria, quod tamen non licet, nisi plethoriæ signa appareant; quę Galenus enumerat libro præsertim de plenitudine,*

Tertiana notha.

Quartana.

Plethoria non est in omni putrida febre

quæ non in omnibus reperiuntur: atque adeo, vbicumque plenitudo ea non adfuerit, non erit vtile, non erit saluberrimum sanguinē mittere; si præsertim plethoriæ nomine mittendus sit: Ergo non semper expedit in putridis febribus sanguinem mittere; Sic idem Forestus lib. eiusdem. obseru. 16 inserit historiam mulieris, cui non est in tertiana notha sanguis missus, à quo præsidio abstinuit quoque in eo, de quo obseru. 18. vt abstinuit in quotidianis etiam, de quibus agit in obseru, lib. eiusdem. 20. 21. 22. 23. 25. 26. 27. qui etiam in hac postrema obseru. inquit, Venæ sectionem hic non adhibuimus, cum in hac febre minus conueniat. *Sed abstinuit quoque in quartana, de qua in obseru. 37. 38. 40. & 42. cum in alijs quibusdam quartanis sanguinem missum affirmet, licet prægressa purgatione, vt de Tertiana ante dixi. Sed quia nonnumquam in dictis febribus expedit sanguinem mittere, & ij damnantur medici, qui prius adhibent purgationem, quam venæ sectionem, hoc iam speciatim consideremus. Ac sane Hippocrates 4. acut. 20. in varijs, quas ibi memorat, affectionibus, docet prius mittendum esse sanguinem, postea dandum medicamentum, quo ex loco posteriores cuncti rei medicæ cultores accepere, tāquam vniuersale documentum, sanguinem prius esse mittendum, quam purgantia medicamenta offerenda, quod & Galenus indicasse videtur lib. 1. ad Glauconem scribens de tertiana notha, in cuius initio docuit, sanguinem confestim mittendum esse, hoc est ante purgationem*

Venæ sectio ante purgationem in febribus nō acutis.

nem

nem, quibus similia dixit lib.ij.methodi c. 14. & 15. sed ad 6.Epid.sect. 1.t.6. hæc inquit, quod si vtroque auxilio homo indigeat,à venæ sectione incipiēdū esse, patet. *hicque idcirco esse ordo seruandus dicebatur, quod ab vniuersalibus ad particularia procedendum est, arguta sane ratione, tanquam functio, quæ singularium est, doctrinæ, quæ vniuersalium, par existat, & indicium eorum, quæ agenda sunt, petendum sit à præceptis, non autem à morbis.. Esto, careatque difficultate (cum fortasse non careat, sed non sunt omnes quæstiones huc transferendæ) sanguinis missione omneis ex æquo humores euacuari, tamen non est sanguis mittendus prius, quia communius sit hoc facere, quam priuatim bilem, vel pituitam ducere: sed quia res exigit, aut non, faciendum hoc, vel illud est, si videlicet adsit copia sanguinis noxia, vel suspecta, sanguis est mittendus, si nō adsit, nō est mittēdus, sed solùm id, quod nocet, educēdū, quod Hippocratē p. aph. 2. docuisse, Galenus est auctor, cuius interpretationē reliqui interpretes probarūt, et receperūt: ac sane docet ipsa natura, quæ molesta sunt, illa excuti debere. itaque non ab vniuersalibus ordienda est medicina, sed à noxijs, & molestis. si interim sit, quod toti corpori noceat, illud sane auferendum prius, quam partis alicuius affectum proprijs auxilijs demoliendum aggrediaris. Sed hoc non est, de quo agitur, & aliud est vniuersale in corpore, de quo modo dicebam, aliud in remedijs, de quo differitur: & illud quod dicitur vniuersale in corpore,*

potest

poteſt eſſe morbus non ex ſanguine, ſed ex bile, aut pituita, citra ſanguinis abundantiam, itaque purganda bilis erit, vel pituita, & erit vniuerſalis (vt ita dicam) euacuatio, quia aufert id, quod uniuerſo corpori noxium eſt, etſi ſanguis non eſt: ſic Meſues in curatione doloris capitis vocabat purgationem vniuerſalem, non ratione materiæ, ſed ratione corporis, quod vel vniuerſum, vel eius pars aliqua purganda ſit: quæ viſa quoque eſt interpretatio Gentilis ad 4. p. Auicennæ cap. 4. cum inquit, euacuatio vniuerſalis eſt duplex, quæ euacuat à toto; vel à pluribus partibus, & de iſta loquitur Meſues, non autem de euacuatione per flebotomiam. *voluit dicere, alteram vacuationem dici vniuerſalem ratione materiæ, tanquam ſanguis vniuerſalis, bilis, pituita ſit particularis, & de hac Meſuen non eſſe locutum. Cur autem ſanguinis miſſio præponenda ſit, melioribus (puto) rationibus declaratum eſt à Franciſco Valleſio lib. 2. meth. c. 3.* nam cum adeſt redundantia ſimul, & vitium, ſæpius ſanguine miſſo vtrumque ſcopum attingimus, quam ſola purgatione; nam per ſanguinis miſsionem extrahitur ſimul vitioſum cum ſanguine, per expurgationem autem non extrahitur ſanguis cum vitioſo. & melius pręparat ſanguinis miſsio ad expurgationem, quam expurgatio ad ſanguinis miſsionem: hęc enim laxat vias, quo maxime corpus expurgandum indiget: illa debilitat vires, quo nihil ad mittendum ſanguinem periculoſius. *Hæc valde probabiliter*

Nō eſt perpetuū, ſanguinem prius mittendum, quem purgandum.

Valleſius diſſerebat, quibus conſentanea ſcripſerat lib. 7. controuerſ. c. 9. quæ tamen non perſuadent, hoc perpetuum eſſe: namque idem loco eodem Valleſius cauſſam attulit, quamobrem interdum contrarius ordo ſeruandus ſit: Niſi, *inquit,* contigerit expurgatione concitari ardorem nouum in viſceribus, tunc enim nihil conſultius, quam ab expurgatione ſanguinem mittere. *quamquam, hoc medentium errore contingere, opinatus eſt, purgans medicamentum ante ſanguinis miſſionem offerentium: Sic enim nouum ardorem excitant, augent ſcilicet febres. Verum enim vero poteſt hoc bono quoque conſilio fieri: nam ſi bilioſus, aut pituitoſus aliquis ſit, in hoc Auicenna 4. p. c. 4. & cap. 20. timuit ſanguinis miſſionem ante purgationem; cuius timoris rationem illis attulit verbis cap. 20.* Et ſummopere tibi caue, ne ægrum ad vnam duarum perducas rerum, ſcilicet humorum cholericorum ebullitionem, & frigidorum cruditatem. *ergo poteſt in ægri corpore feruor aliquis increſcere, ſi ſanguinis miſſio præuerterit purgationem: voluitque bilioſos humores ante venæ ſectionem educi. eoque docuit, non ſemper, aut ſolum ardores oriri ob prægreſſam purgationem, ſed etiam ob prægreſſam venæ ſectionem. ſed hæc fere obiter hoc loco. Satis vero ex dictis diluta videri poteſt, ratio, qua nonnullis perſuaſum eſt, purgationem oportere ſemper à ſanguine miſſione præueniri.*

Sed neque ſunt efficaciora, quæ dicta ſunt ad reprehendendum vulgatam illorum rationem, qui idcirco

prius

prius aluum medicamento lenire aiunt oportere, quam sanguinem mittere, quoniam vetustissimum documentum est præsertim Galeni lib. 9. meth. c. 5. & lib. 11. item Meth. c. 14. cuius Celsus etiam meminit lib. 2. c. 10. crudo non esse sanguinem mittendum. quod egregie sane dictum est. Sed arguuntur, quoniam creditum est, hoc ab illis acceptum de cruditate humorum, cum Galenus de cibis crudis verba fecerit. atqui ego, de ciborum cruditate, hoc ab illis omnino dictum, puto, nec crediderim Galeni studiosum aliquem aliter sentire: nam si ijdem negant, humores licere crudos expurgare, quomodo vtuntur ante venæ sectionem medicamento ad cruditatem demouendam, ne eiusmodi cruditas venæ sectionis beneficium impediat? sane de ea, quæ tunc auferri potest, eos loqui, consentaneum est: ea vero ciborum cruditas est, & communium excrementorum congeries, quam auferre necesse est, quod in acutis quam commodissime præstatur clystere infusis, in diuturnis vero, & alias non acutis, licet non diuturnis (sunt enim aliqui breues non acuti) cumulatius præstatur medicamento citra violentiam purgante. immo (quando huc venimus) ex Galeni sententia in hoc morborum genere, ante quam vena incidatur, vtendum est purgante medicamento; saltem blando & facili (quamuis initio violentis quoque, si res postularet, vti expediret: neque hoc pugnaret cum veterum sententijs; de qua re disputatum est ad p. sect. aph. 22.) namque in ea quæstione, vtrum curatio à

Crudo sanguis mittendus non est.

debilioribus, an à fortioribus præsidijs inchoanda sit, concluditur, à fortioribus inchoandum in acutis, & valde periculosis morbis, in quibus affert mora periculum, vbi vero leuior morbus est, & in eo mora periculosa non est, tentandum prius curationem leuioribus: est autem venæ sectio Galeno fortius purgatione præsidium (quamuis quod ad vtendi modum attinat, securius) quod eo probatur, quoniam ipse, vbi venæ sectio non adhibetur, quia vel ætas, vel vires, (ne timorem dicam quorundam) eam non ferunt, adhibet vicariam purgationem lib. 4. de san. tu. c. 4. non autem sanguinem mittit loco purgationis: ac licet in purgatione molestia maior percipiatur, grauius tamen negocium facessit missio sanguinis, qua naturæ thesaurus profunditur. Ergo ante venæ sectionem purgantis medicamenti, eiusque lenientis vsus non est simpliciter, & absque discrimine damnandus. Quod vero Hippocrates *lib. 4. acut. 20. docuerit, in quibusdam morbis præmittendam esse venæ sectionem purgationi: hoc nos libentissime, tanquam saluberrimum præceptum, recipimus: Sed est illud eo loco præceptum particulare, vt patet ex Galeni interpretatione dicētis illic catalogum exponi morborum,* Qui prius sanguinis missionem, deinde ab ea purgari postulant: *quamobrem intelligere est, morbos quoque esse alios, qui vel sanguinis missionem non requirant, vel non ante purgationem. Est quoque illud particulare documentum, quod habetur lib. 6. Epidem. t. 6. nam de renum doloris curatione, agebatur; vbi li-*

Venæ sectio fortius purgatione præsidium.

Venæ sectio ante purgationem.

cet

cet mirari, priore loco factam purgationis mentionem, eique succedere mentionem sanguinis missionis; Iuuenes, *inquit*, veratro purgare, poplitem incidere; *tamen Galenum ad eundem locum enuntiasse illud tanquam vniuersale preceptum*, vbi vtroque auxilio homo indigeat, à venæ sectione incipiendum esse; *quod etiam tanquam commune documentum aliqui receperunt. cui tamen non omnes acquiescunt, & distinctione opus esse arbitrantur: hocque illa docent, quæ ante dicta sunt, innumeris experimentis compertum esse, purgationem salubriter præmissam venæ sectioni, quod ante indicatũ est ex Foresti obseruationibus: item in acutis purgandum prius, si turget; docent quoque superius repetita ex Vallesio & Auicenna: nec quia Galenus in ptridis febribus infinite dixerit, statim initio sanguinem mittendum, idcirco pugnat cum his, quæ modo exposui: nam probamus & nos maxime documentum illud, sanguinem mittendum prius, quam purgandum, sed ijs exceptis, quæ narrata sunt. quodque Galenus inquit, vbi vtroque auxilio homo indigeat, à venæ sectione incipiendum, intelligitur, posita indicationum paritate, acsi dixisset, vbi æque vtroque indigeat: quæ fuit Auicennæ sententia 4.p. cap.4. cum inquit*, Et ad summam, si humores fuerint æquales, præmitte minutionem. *Ac sane si maius periculum vtcumque immineat ex sanguine, nemo dubitabit, quin à sanguinis imminutione incheandum sit, quod si maior vis ad lædendum sit in alijs humoribus, consentaneum*

taneum est rationi, nec alienum est ab experimentis, nec ab auctoribus, incipere à purgatione; sic enim loco eodem inquit Auicenna, quod si æquales non fuerint, in primis super abundantem euacua humorem, donec æquatur; postea minue. *quamquam Galenus videatur veritus hoc dicere, nam lib. 4. de san. tuenda c. 4. in curando affectu vlceroso, si cum sanguinis copia crudi quoque succi fuissent, sanguinem prius mitti, deinde docet, aluum deijciendam, quod si solus vitiosus adfuisset succus, dumtaxat opus esse purgatione, & rursus si sanguis exiguus sit, succus vero crudus plurimus, monet, à sanguinis detractione abstinendum. Si verò sanguis copiosus, & succus crudus exiguus, prius item venam incidendam, deinde aluum deijciendam. his ergo locis aut solam proponit alui deiectionem, aut post sanguinis detractionem, non ante, quamuis copia succorum adsit crudorum. quapropter illud est à Galeni sententia maxime alienum, quod aiunt, si æque vtraque necessitas vrget, prius expurgandum esse: hoc enim recta est contrarium ijs, quæ Galenus docuit.* Pone, *inquit, in eodem cap. 4. lib. 4. de san. tu.* hominem ex mala victus ratione lassitudine affectum, deinde ex ijs, quas retulimus, notis, in venoso vasorum genere apparere subesse illi copiam semicrudorum succorum, in reliquo vero corpore multitudinem horum sane mordacium; quos lassitudo secuta est, auctus præterea quodammodo & sanguis eiq; detrahere primo de sanguine oportet, deinde

succum illum educere, qui superare videtur. *his verbis describitur par copia sanguinis & aliorum humorum, nisi etiam maiorem indicauerit aliorum copiam, quos tum in venis, tum in corpore vniuerso ponit abundare, de sanguine vero, tantum, inquit, auctius quodammodo esto, nec tamen prius purgandum voluit, sed primo de sanguine detrahendum. quod & indicauit ipse Galenus lib. epid. 6 sect. 1. t. 6. qui praeterea in omni febre, tam putrida, quam continente, sanguinis missionem extulit, purgationem vero longe minus aestimauit: quod facile intelliget, qui ea, quae de curandis febribus ab eodem tradita sunt libro methodi nono, & vndecimo, libro primo ad Glauconem, & libro Artis medicae diligenter perleget, & expendet. Nec dicendum est, illum veritum esse medicamenta violenter soluentia, nam quae benigne expurgant, non fuere Galeno ignota, vt posterius demostrabitur. Nec mouet nos illa ratio, quae nec Galenum mouit, & si multis persuasit: si prima regio scateat excrementis, futurum, vt, praemissa venae sectione purgationi, regionis illius excrementa in venas trahantur, foedumque sanguinem reddant, non timuit hoc Galenus licet vniuersum corpus, & ipsae venae, nedum sola prima regio, succis abundaret crudis; vt ante dixi; timuit solũ in lassitudine, cum qua sanguis bonus exiguus est, crudi vero succi plurimi sunt, de qua differit lib. 4. de san. tu. cap. 5. Sed ita timuit, vt perinde alui deiectionem, atque sanguinis missionem damnauerit, & prohibuerit*

Benigna medicamẽta Galeno notha.

rit inquiens. Si in lasso corpore sanguis exiguus sit, crudi humores plurimi, huic nec sanguis mittendus, nec alui deiectio, aut exercitatio, aut omnino motus, aut balneum adhibendum; quippe incisa vena bonum sanguinem emittit, malum qui in primis maxime venis, circa iecur, & quod mesenterium vocant, colligitur, in totum attrahit corpus. deiectio vero in talibus tormina, & rosiones facit, animique deliquia, cum eo quoque quod nec notatu quippiam dignum educit, quando crudi omnes succi pigri, atque admotum inepti propter crassitiem, frigiditatemque sunt; *& quamuis in his postremis verbis succos memoret frigidos ob peculiarem rationem enarratam; quia sunt ad motum inepti, tamen paulo superius in cap. 4. promiscue memorauit crudos & mordaces, à quibus oriri & tormina solent, & rosiores, & animi deliquia, quæ Galenus timebat ab alui deiectione in casu proposito. & hæc dicuntur vbi succi praui abundant, & sanguis exiguus est. Vbi vero par necessitas sit, (de qua re nunc disseritur) timorem huiusmodi neglexit, & sanguinem prius mittendum statuit. Aliam attulit Auicenna rationem in dicto capite quarto, periculum esse, ne crassi succi, frigidique abundantes, præmissa venæ sectione purgationi, euaderent crassiores, sed ei periculo facile obuiam iri potest, modo sanguinis missioni adhibito; neque enim semper tam profuse mittendus sanguis est, vt animi defectus inducatur, quo in contrarium statum corpus*

agitur

agitur, & celerrime refrigeratur, vt Galenus notauit lib. methodi nono cap. 4. Idem vero cum de febribus dissereret, consilium habuit omnino à recentiorum sententia diuersum, quo adductus quam celerrime, omissa penitus purgationis ratione, sanguinem mittere properabat: timebat enim, ne mora sanguis putredinem conciperet: itaque ad ægrum nocte vocatus intempesta, vt narrauit lib. 9. meth. c. 4. confestim sanguinem misit, quod ei optimum factu visum est, antequam, inquit, putredo inciperet, quod longe magis est faciendum, vbi iam putredinem adesse constat: ne plus iusto augeatur, vnde grauius periculum immineat, quam ex humoris crudi raptu intra venas; quem tamen non timebat, vbi par esset sanguinis & humorum copia crudorum, sed tantum, vbi sanguis exiguus esset. attendebat tamen Galenus ciborum quoque cruditati in febribus, sed non vt medicamento ad purgandum vteretur, sed solum vt tamdiu venæ sectionem differret, quantum, *inquit*, satisfacere tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa descendant, videretur. *Sed nec Auitenna ausus est, alui deiectionē per medicamentū proponere, sed vomitum laudauit, & clysterem, ita enim 4. p. c. 20. inquit*, à minutione præterea cauere debes super cibi repletionem, ne materiam non maturam trahas loco eius, quod ab eo euacuasti, & oportet etiam, vt tibi caueas ab eo in repletione stomachi, & intestinorum facta ex fece iam consecuta, & propinqua. immo in eam vacuando stude; & il-

Galeni cōsilium de purgatione in febribus

Galenus curhaberet rationē cruditatis ciborum sanguinē missurus.

lud quidem, quod est in stomacho, aut coram eo, vomitu, & quod in intestinis inferioribus, quo poteris, & si non alio saltem clystere; *Sed non semper adest ea cruditas: atque cum adest, si breui inedia tolli potest, vanum est existimare, purgationem venæ sectioni præmittere, semper oportere. Verum enimuero, sæpe quoque locum esse purgationi ante venæ sectionem, superius dictum est satis. quam purgationem moderatam esse debere, Hippocrates & Galenus perspicue docuerunt. Sed clamant ex Galeni sententia ad lib. 2. acut. ij.* perniciosum esse mouere, & non sufficienter vacuare, medicamento autem, de quo disseritur, ante venæ sectionem oblato, commotionem fieri potius, quam euacuationem, & inde in febribus exanthemata apparere ex humorum putridorum commotione, tertianas febres duplicari, ad tertium & quartum mensem protrahi. *hæc ita iactantur. Sed quod extat testimonium, damnato in propositis reprehensionibus vsu lenientis medicamenti, sæpe orta exanthemata? duplicatas febres, & in longum tempus protractas? quam facile hoc dictum est, tam potest neganti credi. Et nos in hac luce viuimus, & sæpe obseruauimus febres diuturnas, geminatas tertianas, orta exanthemata, &; quod grauius est incommodum prætermissum; multos defunctos. Sed morborum exortum, quo argumento potius imputandum medicamento, quàm huius vniuersitatis, & hominum præsertim naturæ? scilicet obseruatum est, ab* Hippocrate, *ac*

Mouere & non euacuare vtrũ perniciosum.

ac litteris traditum, in pluuiarum multitudine fieri longas febres: vnde igitur accipitur, fieri medici culpa, quod Hippocrates constitutioni temporis tribuendum docuit? Solent in quibusdam annorum constitutionibus vagari febres letales, cum exanthematibus, cur vitio medentibus vertitur, quod temporum prauitas secum affert? Quartana morbus est longus, & fieri solet æstate, & autumno, ergo si cui quartana accesserit, medicus accusandus, qui die secundo, hoc est post primum febris accessum, medicamentum dederit, non damnabitur æger, qui volens, aut nolens, commissis quibusdam, in id morbi genus, quod ab huiusmodi quadam caussa necessario, & in illa anni parte oriri solet, inciderit? num etiam statuunt, debere pharmacis initio morbos extingui, illorumque progressum omnino cohiberi, & intercipi? mens ea profecto Galeno minime fuit, qui morbos docuit salubreis quatuor necessario temporibus distingui, initio, cremento, vigore, decessu, nec propterea inutilis est medicina, quæ vel est maxime necessaria, vt alibi demonstratum est. hoc enim loco de his obiter. Sed cum agitur de tertiana febre nominatim, voluissem distingui inter notham, & legitimam, siue exquisitam: nam febrem tertianam exquisitam crebro degenerasse in febrem letalem, non est facile demonstrare, aut persuadere: dixi autem crebro, nam, interdum hoc, & raro fieri non negauerim, quamuis nullam huiusmodi febrem in suis obseruationibus Forestus narrauerit. at deberet, hoc

crebro contingere, si medicorum culpa contingit, cum id crebro committant crimen, quo accusantur. Si vero non sit exquisita, non est mirum: neque medici vitio semper fieri, dicendum est, si degenerat in letalem morbum, aut in longum tempus producitur. Sed testari valemus, in curanda tertiana sine vllo incommodo alijs sectam venam prius, quam oblatum medicamentum, alijs oblatum prius medicamentum, alijs alterum tantum, alijs neutrum adhibitum, vnamque victus rationem præscriptam, omneis tamen pari conualuisse felicitate. cumque Hippocrates narrat, Epicratis vxori febrem perductam ad diem octogesimum, & Cleonactidi Parionis filio ad centesimum vigesimum, quo etiam obijt & huiusmodi (multos enim ægros memorat, quorum alij post totidem dies sanati sunt, alij interiere) item cum alios quarto, vel sexto, vel septimo defunctos scribit, statuemus illa euenisse Hippocratis errore, an caussarum, à quibus morbi vel oriuntur, vel augentur, vitio? Sed quid hæc ad Vrbis potius, quam vniuersi orbis medicos attinebant? Febres vbique annis venientibus oriuntur prauæ, & malignæ vocatæ, & exanthemata, de quibus copiose scriptum est ab Hispanis medicis, à Gallis, à Germanis, ne Ita*licas scholas, præter Romanam, commemorem. Atque non negauerim, bonum quoque Homerum interdum dormitare, quando & Hippocrates deceptum se à suturis fassus est, & proprijs litterarum monumentis commendauit; ita si quis persuadeat sibi, ægros mori*

medi-

medicorum erroribus potius, quam morborum violentia, is sane artis medicæ vires, ac limites nescit, & vim huius vniuersitatis rectricem ignorat, moriẽdum aut senio, aut morbo, aut violentia quacumque: nec sanari ægri omnes valent, licet vel rectissime curentur. Memor illorum esto, quæ Aristoteles initio libri Rhethoricorum primi dicebat, cum artem dicendi similem esse medicinæ accipiebat, vt, quid interesset finem inter, & officium oratoris, doceret. quantumuis enim egregiam medicus operam nauet ad sanãdum phtisim; quod illius officium est; & in eius potestate positum est; hoc tamen assequi non potest, qui finis est, quem assequi non est in eius potestate positum. Non est in medico semper releuetur vt æger. Narratas vidi duas amplissimorum virorum historias, qui laudata methodo sanati sunt; quasi millia Romani medici narrare nequeant item methodo sanatos sua. ne contra dicamus, non deesse exempla virorum, & quidem illustrium, quos laudata in reprehensionibus methodo curatos, quidem, sed defunctos nouimus. Sed quæ ista est quæso tam salutaris methodus? Vt scilicet, initio confestim sanguis mittatur, deinde offeratur medicamentum, quod recipit decoctum ex tamarindis, floribus, & fructibus cordialibus (ita enim vulgo hæc appellantur) manna, sirupum de rosis, rhabarbarum, triferam persicam, *Hæc est laudata methodus, & videtur quoque ratio in Vrbe seruata, tanquam empiricis adeo nota, vt relatum sit, in S. Spiritus Valetudinario*

pharma-

pharmacopolam, ob tardiorem medici aduentum, ægris quæ essent offerenda præscripsisse, illorumque nihil à medico accedente immutatum, indicio, Vrbanam methodum carere ratione. At quis nouit, an ille medicus aliquid in rem suam dissimulauerit? potuit quoq; fieri, vt in illa visitatione nihil grauius occureret, quoniam in prægressa visitatione medicus ea præscripsisset, quibus in sequens tempus prouisum esset, quod creberrime contingit. Sed ex vnius fortasse errore de omnibus est iudicandum, tanquam ingenium, iudicium, disciplina, eruditio, ars ipsa denique in animis hominum imprimatur, vt in aere signa imprimuntur, simili omnino imagine, parique pondere, ac magnitudine? Sed quæ ratio facilior curandi; & quam non quiuis tantum de triuio medicus, sed agyrta quiuis, & pharmacopola imitetur; quam, cum primum ad ægrum veneris, sanguinem mittere, & quarto deinde, vel sexto die medicamentum ante descriptum exhibere? an non est vllum morborum discrimen, non naturarum, & corporum, non ætatum, & regionum? Qui diligenter obseruat motus, moresque ægritudinum, is facile intelliget, alias salubriorē venæ sectione purgationem, alias cōtra, alias, scilicet misso sanguine nihil de morbo demptum, sed cum exceperit sanguinis missionem purgatio, confestim ægrum restitutum esse, alias contra, prægressam nullo euidente commodo purgationem, secutam salutarem venæ sectionem, quæ statim sustulit morbum, alias neutrum auxilium manifeste profuisse, sed

Euentuum varietas.

tam-

tamdiu, morbum durasse, vt vulgus existimauerit, dicta præsidia frustra adhibita. ex qua euentuum varietate apparet, vniformem illam medendi rationem nec in omnibus, nec in plerisque recipiendam esse. Atq; cum Hippocrates scriptum reliquerit, medicinæ neque principium esse, neque medium, neque finem, id, quod est, indicasse, alias à venæ sectione incipiendum, alias à purgatione, alias alteram tantum, alias ambas, alias neutram vsurpandam. cuius varietatis medicos Vrbis esse conscios, persuasum est mihi. Cum vero damnatur vsus medicamentorum leniter purgantium, quia commouent illa potius, quam euacuent; cupiebam enarrari; quæ exstet ratio idoneam euacuationem mensurandi: cumque decantatum sit Galeni documentum; nihil esse, quod medicinam æque coniecturalem efficiat, atq; cuiusque præsidij mensuram; quam habent copiosarum vacuationum studiosi rationem iudicandi de idonea earundem mensura? an nihil faciendus est Hippocrates, cum, inquit, prodeuntia non sunt multitudine æstimanda? *decepit ergo idem nos, qui laudauit vacuationes modicas* τὸ κατὰ ὀλίγον ἀσφαλὲς, *admonens in paucitate securitatem inesse, & contra damnauit* τὸ κατὰ πολὺ *quoniam est* τῇ φύσει πολέμιον. *Sensim & occulto æuo natura res suas promouet: quid ergo vulgus oblatrat, modicas vacuationes commouere solum, non perficere, & expedire? tantum expediunt, quantum mouent, atque vt Galenus repetitam sanguinis missionem laudauit, ita & Hippocra-*

Mensura vacuationum.

De cur. rat. per sangu. miss. c. 12.

1. aph. 13.

tes

Medicamenta benigna Galeno cognita.

tes iteratam purgationem maxime probat. Nec etiam Galenus ad 2.acut.ij.laudat profusas vacuationes, qui scribens ad Glauconem in tertiana notha contentus fuit ijs, quæ moderate aluum subducunt ἐπιεικῶν ὑπολάτων *(quod faustum felixque sit negantibus, nota Galeno medicamenta benigne vacuantia) quibus se continue vsum esse, loco eodem profitetur; Sed, primum, damnabat in illo 2.acut.in acutis affectibus purgationem; quo à nobis stat illa auctoritas; deinde, cum in eisdem morbis purgandum est, laudat solum mediocrem purgationem, cuiusmodi solet his fieri medicamentis, de quibus actum est sæpius, inquit Galenus;* Quibus igitur dare quadrabit, his medicamenti tantum propina, quantum in plurimis mediocriter vacuare, tum nouisti, tum sis expertus συμμέτρως κινοῦν. *Cum itaque ibidem damnantur, qui mouent, & sufficienter non euacuant, ex eo non efficitur, euacuationem debere esse copiosiorem illa, quæ præstari possit medicamentis ante dictis: nec putandum, voces, moderate* συμμέτρως, *&, sufficienter* ἱκανῶς, *quibus ibi Galenus vsus est, contrarium aliquid significare; sed ipse voluit nos intelligere, medicamentum vacuare sufficienter, si moderate vacuet. Atque hactenus dilutam satis existimo reprehensionem illam, errare medicos, qui ante venæ sectionem medicamentis, illisque lenientibus, vtuntur.*

Iam caput illud aggredior, in quo illi damnantur, qui, ab exhibito primis diebus medicamento

tempus

tempus dicuntur terere iura exhibendo, quæ alterata vocantur, & lapidem bezaarticum, & oleo ex corticibus citri mali cor illinendo, neglecta cura humorum noxiorum vacuandi: decepti Hippocratis auctoritate, qui docuit, Concocta medicare, & mouere, non cruda &c. ac tandem, cum exactus fuerit dies quartusdecimus, vno melle ros. ęgros euacuant, & euacuant, eo licet tempore solutus morbus sit, ob timorem recidiuæ, cum initio purgandum sit, & vtendum medicaminibus bilem educentibus. (*scilicet sermo erat potissimum de febribus tertianis*) nec moueri de hac sententia debere ob dictam Hippocratis auctoritatem, quæ vera tantum est de vsu medicaminum, quæ deleteria vocantur, quæ si forte non euacuent, in humoris noxij naturam vertuntur, cuiusmodi scamonea, turbit, elleborus, colocynthis, hermodactilus, & huiusmodi, non autem de vocatis benedictis, quæ si non enacuent, facile in alimentum vertuntur, cuiusmodi sunt manna, casia, tamarindi, rosæ, violæ, & præ cæteris rhabarbarum: hæc enim initio possunt exhiberi, quapropter Hippocrates 2. aph. 29. dixit, inchoantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue, etiam si materia non turgeat. etenim cum hoc documentum comprehendat maxime sanguinis missionem, sanguis nec dicatur turgere, etiam si non turget, initio mouendum Hippocrates voluit, ac si sermo de turgente materia fuisset, non docuisset, sanguinem quoque

 mitten-

mittendum, quem non licet mittere turgente materia, ne sanguine misso materia intra venas rapiatur: multa verò sunt in Hippocrate & Galeno, quæ docent, initio vtendum esse medicamentis purgantibus, minimè expectata humorum concoctione, quos omnino minuere per initia oportet, vt natura exonerata, quod reliquum est posit facilius concoquere. *& hæc est eorum summa, quæ aduersus Vrbis medicos dicebantur. Sed ea sunt inani prorsus labore repetita, namque ab hac sententia noui Vrbanos medicos minime abhorrere, etsi Romæ, vt alibi vbique, viget difficultas ex illo aph. Concocta medicare; quam diluit hactenus nemo aliter, quam medicamentorum discrimine, quoniam alia deleteria, & alia benedicta vocentur, quā tamen opinionem ab Hippocratis consilio alienam esse, in nostris ad eundē aphorismum repetitionibus ostendimus. Video autem in modo repetitis reprehensionibus primo recepta & probata, quæ in priore disputationis parte refutabantur medicamenta, quę dicuntur minoratiua, cum scriptum sit*, debere minorationem caussæ præcedere cuiuslibet morbi curationem, quem putris humor excitauit. sic enim natura exonerata quod residuum est, apte concoquet, *quæ vulgatissima est medicorum Vniuersitatis sententia. Nec dicendum, medicamenta, quibus nostri vtuntur, non habere eam vim, quæ requiritur ad minuendam noxiam materiam, si quidem non alijs vtantur, quam ijs, quæ superius nominatim proba-*

Concocta medicare.

Minoratiua purgatio in reprehensionibus probata.

ta.

ta accepimus, nempe manna, cassia, rosa, viola, tamarindis, rhabarbaro quoqs, & si hoc rarius aliquando ob pretium, aliquando ob suspicionem de seplasiæ integritate, aliquando ob varietatem opinionum, ne imputetur eis, quod morbi vitium est, cum possint eundem scopum assequi rosa, casia, tamarindis, manna, melle rosaceo, vel sirupo rosaceo soluentibus, vel melle, ac sirupo violaceo; cum ergo hæc ita probentur initijs morborum ad minuendam materiam, hæc est ipsissima ratio medendi, qua Vrbani medici, & omnis Europæa schola vtitur. Sed est & alterum animaduertendum, quòd sumptum est in reprehensionibus, debere semper misionem sanguinis præire, quam sequatur purgatio, *quod tamen negatum est in eisdem, faciendum turgente materia, & additum*, vbi adest multitudo, semper præsumi adesse turgentiam, turget enim materia cum multa est, maxime biliosa, quę in tertianis febribus præualet. *Cum ergo hæc dicta sint, quid est quamobrem arguantur medici initio casia, rosa, viola, & similibus ante minuentes materiam biliosam, quam vena secta sanguinem mittant? fortaſse quia non eo consilio hoc faciunt? at licet non eo consilio facerent, faciunt tamen, & recte, vt ex modo dictis apparet. Ex ipsis ergo reprehensionibus habemus, minoratiuam purgationem admittendam, & purgandum sæpe prius, quam vena aperiatur, quod est Vrbanorum methodum medentium adprobare.*

Sed dictum est tempus teri iuribus alteratis. at Iura alterata.

 cur

cur tempus dicitur teri? nos contra profitemur hoc esse aptissimum. Victus humidus febrientibus omnibus commodus, vulgatissima Hippocratis sententia; cur, ergo, danda iura, negatur? num quia nutriunt? sane ægri nutriendi. at in accessione abstinendum, recte; sed Hippocrates & illud seruandum docuit, si æger sufficiat, nam si non ferat æger longiorem inediam, licet quaque in accessione aliquid offerre, atque inde orta est quæstio, Quonam accessionis tempore, citra decessionem, (in qua non est dubitandum, quin liceat ægrum nutrire) expediat magis ægris aliquid præbere, initio ne, an cremento, an vigore. at illis miscetur succus ptisanæ, & contusa caro, & sic ægri in accessionis vigore nutriuntur. Sane cur hæc dicantur prorsus ignoro: nemo est enim mihi notus, tam rudis, & tiro, qui profiteatur, ægros, vigente accessione, alendos esse. Sed nonnumquam ægri deficiunt, & decessionem expectare nequeunt, idcirco per vigorem potus aliquis, aut sorbitio exhibetur aliqua. id quod reprehendi nequit, nisi velimus Hippocratis quoque, Galeni, & veterum omnium documenta euertere. De alexipharmacis vero; & cordis illitu non disputabo, quod non reprehenduntur quasi noxia, & inutilia, sed quia interim negligitur humoris noxij euacuatio. Sed negamus dicti humoris vacuationem contemni, aut præteriri, quod patet ex prima repreheusione, qua damnabatur vsus medicamentorum lenientium, quibus materiam minui noxiam, satis ostendimus. Sed tribuitur Vrbanis medicis.

dicis, non esse purgandam initio materiam non concoctam, cum Hippocrates, & Galenus docuerint, licere materiam quoq; crudam initio medicamentis educere, nec obstare aph. p. sect. 22. concocta medicare, nam medicamenta quædam deleteria, quædam sunt benedicta. Hippocratem ignorasse genus secundum, ideo negasse cruda initio educenda, non negaturum si nouisset. *egregium certe documentum, quo ostenditur, Hippocratem ex dimidio medicum fuisse. Sed fari liceat hoc loco, & mihi dent veniam hanc æqui lectores, nemo hactenus satis* Hippocratis *in eo aph. consilium percepit. medentes recte faciunt, cum initio exhibent medicamenta; & rectius vtuntur leuioribus, eodem* Hippocrate *auctore 2. aph. 51. sed non recte sentiunt, dum putant, medendi rationem hanc dicti aph. 22. sententia suspectam, quasi neget* Hippocrates, *initio licere vti medicamentis purgantibus, quod est maxime alienum, cum alias docuerit, incipientibus morbis mouendum esse, & hoc documentum tamquam firmissimum assumpserit in eo aph. πέπονα φαρμακεύειν & ex eiusdem aph. verbis accipiatur, initium esse tempus purgationibus accommodatissimũ: quamobrem nec egemus dicto medicaminum discrimine, vt tollatur contrarietas, quæ nulla est, quod vna cum reliquis, quæ modo attigi, satis in commentariolo nostro in eundem aphorismum demonstratum est, ex quo illud tantum hoc loco profitemur, recte medicos vti purgatione initio, quæ vocatur minoratiua, illaque esse* Concocta medicare.

quibus vtuntur medicamenta aptissima, dum habeant morborum rationem, & reliqua obseruent veterum documenta. de his vero hactenus.

Vtrum vero medicamenta benedicta verti possint, in alimentum, & deleteria in humorem noxium, pluribus non persequar, quod est ab instituto præsente alienum, dicam tantum de benedictis, non esse promiscue enunciandum, quia ignotum est mihi, rhabarbarum, aloen, polypodium posse in sanguinem verti: sed nec illud satis percipio, scammonium posse in bilem verti, & veratrum in pituitam, quod si fiat etiam, quantum augeri potest pituita, vel bilis exiguo scammonij aut veratri pondere? Quod autem additum est, post diem decimum quartum vno melle & rosa ægros purgari, hæc non est iuris quæstio, sed facti, & imponitur Vrbanis medicis, quod nec vtantur rhabarbaro, nec alijs, quorum sit vis efficacior, quam rosæ; quam tamen in reprehensionibus probatam legimus, inter ea, quæ bilem educunt, vt ante notatum est; plenæ sunt enim pharmacopolarum officinæ libris, in quibus seruantur medicamentorum, quibus medici Vrbis vtuntur, descriptiones: Seplasia est in Vrbe frequens, & est simplicium medicamentorum vndique perpetuus ad Vrbem concursus, argumento Romæ in vsu, vel plusquam satis frequenti, esse omnis generis medicamenta. facile est verba profundere, sed iuste reprehendere, & vera dicere & docere, hoc opus, hic labor est. Sed nec ridenda vacuatio soluto morbo facta ob timorem recidiuæ:

nam

nam Hippocrates admonuit, fieri recidiuas, & recidiuarum signa docuit: Ergo, cur non sit iuste timendum, ne fiat, quod fieri solet? cur non sit imminenti periculo opportunis auxilijs occurrendum? at hoc faciendum initio, recte; sed initio quoque factum ponitur oblato medicamento, quo minuitur humoris copia ægro molesta, quamobrem expeditius natura morbum superet: quo euicto, vna reliqua est recidiuæ non prætereunda suspicio: interim vero testimonium dat ea reprehensio, consueta medicis Romanis methodo ægros sanari, dum enim ridetur purgationis vsus post diem decimum quartum soluto morbo, hoc docet, ea methodo morbos solui posse, ergo non est temere damnanda. Sed tandem affertur ratio, quamobrem subrideri visa est purgatio soluto morbo, nempe, vbi facta est integra iudicatio, nihil mouendum esse. *Verum hoc loco quærendum est mihi ab Vniuersa schola medica, Vbi gentium Hippocrates docuerit, quæ perfecte sunt indicata, non esse mouenda? namque res ea nulla egebat admonitione: etenim perfecte ille iudicatus est, qui plane restitutus est sanitati absque recidiuæ suspicione. sic enim Hippocrates in historijs Epidemicis sæpe dixit* τελέως ἐκρίθη, *perfecte indicatus est, cum penitus desijt ægritudo, & dumtaxat* ἐκρίθη, *indicatus est, cum recidiuam narrat secutam, & sacra est admonitio, bene valenti non est opus medico, de medio tamen sumpta, nam quiuis sanus medicis legibus obligari recusat. sed respondebunt (scio) proditum hoc p. aph. 20. quæ iudicantur,*

cantur, & indicata sunt perfecte, &c. At ad eum locum satis ostendi, nullum esse verbum de perfecta iudicatione: nam vox illa ἀρτίως, nusquam apud veteres auctores eo sensu accepta reperitur, vt latine verti possit, aut debeat, perfecte, sed vbique idem significat, quod latinum aduerbium, nuper: quamobrem ex illius Aph. sententia non potest damnari purgatio facta soluto morbo, eo nomine, quod iudicatio perfecte facta sit; cum dicto Aphorismo damnetur solum vacuatio facta, dum fit iudicatio, aut cum nuper est facta, quia tantisper quiescendum sit, donec obseruari possit, reliquum ne aliquid sit; quamobrem recidiua timeri debeat; iuxta documentum vulgatum, Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt. Itaque non est damnandum, sed probandum maxime (quicquid initio præstitum fuerit, vel secta vena, vel oblatum medicamentum, vel vtrumque, vel, fortasse, neutrum) si morbo sine signis opportunis soluto, post spatium, ac tempus, quo iudicari potest, timendum recidiuam, medicamentū aliquod exhibeatur.

vini vsus in febribus

De vini autem vsu in curandis febribus (quod postremo loco propositum erat) fuit sane vetus inter auctores controuersia, quam etiam definiunt adductis, hominum, vinorum, morborumque, & casuum, qui morbos sequuntur, differentijs, vt intelligatur, alijs congruere, alijs minime; quæ à multis tractata, & probe digesta, non existimo, repetenda, eoque præsertim, quod nec in reprehēsionibus laudatur vinum, tam-

quam

quam febrientibus omnibus commodum, & salutare, immo quod nec in tertiana exquisita, sed tantum in illegitima laudatur, neç quodcumque, sed aquosum dumtaxat, vt Sabinum, Albanum, Neapolitanumque Aminæum, quæ quoque refrigerare dicuntur. à qua sententia noui Vrbis medicos non abhorrere, qui non in tertiana solum illegitima, sed in legitima quoque nonnunquam pro ægrorum natura, & morbi tempore (nam Galenus non ante coctionis indicia, vinum in ea febre exhibendum, docuit, scribens ad Glauconem.) immo & aliquando in continua, & acuta febre (ne de quartana dicatur) tenue, & aquosum vinum concesserint: quod vini genus à Galeno probatum esse in febribus, nemo est tam rudis medicinæ studiosus, qui ignoret. Neque nouum est Romæ vinum ægris, & febrientibus, (seruatis veterum documentis) offerre, hoc enim non hodie tantum seruatur, sed seruatum nouimus à primarijs olim medentium, qui multis iam annis vitam cum morte commutarunt, fuereque nobis duces, & rectam ægros nutriendi rationem ex vetustis auctorum monumentis indicarunt. de qua re ante hos decem annos nonnulla scripseram in eo libello, quem inscripsi, Romana Epidemia. Esse autem vini genus aliquod frigefaciens, non est negandum, siue Galenum, siue consulamus Hippocratem: nam is lib. 2. de diæta, acida, quæ sunt, ait, frigefacere, οἱ ὀξέες οἶνοι inquit ψύχουσι: ille vero lib. de cibis boni & mali succi cap. ij. ait aperte, quædam vina sensibiliter frigefa-

Vini frigefacientia.

frigefacere ψύχειν αἰσθητῶς, dubia sunt, quæ de vinis speciatim laudatis dicta sunt: namque Aminæum prisci inter generosissima retulerunt, vt legere est apud Columellam lib. 3. cap. 2. Firmissima dixit Virgilius, & Galenus lib. 5. de san.tu.c. 5. Sabinum, Albanum, & Aminæum refert inter vina Senibus aptissima, quæ docet esse debere calidioris naturæ; alibi tamen refert inter illa, quæ substantia constant tenui λεπτοὶ κατὰ σύστασιν, vt lib. de bono & prauo succo. cap. ij. & lib. 12. meth.c.4. quæ & aquosa vocari affirmat, & paucifera, ὑδατώδεις καὶ ὀλιγοφόροι. Verum illud fuit animaduertendum, esse aliqua vina aquæ simillima quidem aspectu, nempe colore, & pelluciditate, quæ tamen epota & calefaciunt, & caput mire petunt, & mentem facile tentant, itaque nec paucifera sunt, si vis illorum frangenda sit. Sed paucifera quædam dicuntur, quæ infirma sunt, & aqua modica vini vim exuunt; quædam vero pauca aqua vini vim non quidem deponunt, sed suauitatem; vt nonnulla quoque sunt, quæ aquam satis multam sustinent, non quia potentia, sed quia sapida; hocque facile in vini natura expendenda decipi possumus. Aminæum Neapolitanum hodie vocatur Græcum, sicut nigrum (erat enim Aminæum quoque nigrum, vt accipi potest ex Plinij lib. xiiij. c. 3.) Lacrima, dicebaturque Neapolitanum, quia iuxta Neapolim nascebatur, vt Galenus ait lib. 12.meth.c. 4. erat autem præterea Aminæum tum Siculum, tum Bithynum, vt idem scripsit Galenus lib. 1.de antidotis.

Aminæum vinum.

Pauciferi vini duplex ratio.

Aminæum vinum, vbi nascerecur

tis. c. 3. Sed natum Aminæum in Pausilypo colle, vt aliqui opinati sunt, non est demonstratum ex eod. lib. 1. de Antid. vbi non est scriptum, vt illi dicunt, nasci post Puteolos, in collibus Neapoli vicinis; quasi de vno vini genere, vnoque, in quo proueniret, loco loqueretur; sed & duo loca, & duo vini genera indicauit, quod facile intelliget, qui eius orationem attente legerit: ea vero est, Quod in Gauro monte nascitur, qua parte Puteolos Vrbem spectat: quodque in collibus Neapoli vicinis oritur, Aminæum quidem nuncupatum. *hæc ibi. ex quibus accipimus, alterum vini genus in Gauro monte, Aminæum vero in cæteris collibus. Sed longe dilucidior græca est oratio.* ὁ γαυρανὸς ἐν τῷ ποτιόλων λόφῳ γινόμενος, ὅτι ἐν νεαπόλει, κατὰ τοὺς ὑποκειμένους αὐτῷ λόφους; ἀμιναῖος μὲν ὀνομαζόμενος, *hoc est, Gauranum in Puteolorum colle exortum, & quod Neapoli in collibus ei subiectis, quod Aminæum vocatur, &c. Constat autem, fuisse vinum Gauranum, & Aminæum diuersi generis, in dictis tamen Galeni verbis pro, subiectis, libentius legerim, imminentibus, & pro græco vocabulo* ὑποκειμένοις *legerē* ὑπερκειμένοις *quia lectio ea consentanea magis est dictis ab eodem lib. de cib. bo. & mali succi c. ij. ibi enim Aminæum dixit oriri in colle Neapoli imminente* κατὰ τὸν ὑπερκείμενον αὐτῇ λόφον. *neque congruens est, montes dicere Neapoli subiectos, qui sunt ea vrbe eminentiores. Is autem est collis, qui Vesuuius dictus olim est, hodie Somma vocatur, quod conijcere est ex traditis à Strabone lib. 5.*

vbi describens Neapolim, Nolam, & vicina loca, illis, ait, Vesuuium vocatum montem imminere, ijs pene verbis, quibus Galenus ὑπέρκειται δὲ τῶν τόπων τούτων ὄρος τὸ οὐεσούιον: *sed quid opus est coniecturis, & argumentis longius petitis? Columella lib. 3. c. 2. cum scriberet de Aminearum generibus vitium, de gemellaq; speciatim, Campaniæ, inquit, celeberrimos Vesuuij colles, Surrentinosque vestit: non igitur in Pausilypo nascebatur. Aminæum ergo album Neapolitanum, colore & perspicuitate aquam referebat, & aqua modica suauitatem deponebat, (quod hodie contingit græco) eoque nomine aquosum & pauciferum vocabatur, sed interim vini generositatem, viresque, sola suauitate deposita, retinebat. Albanum nostrate flauum, & nigrum longe distat ab Aminæi natura: atque adeo, si Galeno visum est Aminæo esse simile, Albanum priscum longe aliud à nostrate fuisse, quemadmodum & Sabinum (quod nullo hodie est in honore) dicamus licet: Sed de vinis ex antiquorum sententia, non est tam tenuiter, ieiuneq; differendum, cũ longe alia de vinis tradita sint à Veteribus, quam posterioribus seculis comperta sunt: Namq. apud Græcos, auctore Aristotele, ferebatur, Vinum dulce non inducere ebrietatem, cum iam constet, vina esse multa dulcia, quæ hoc maxime præstant; nisi dicamus, illud negatum comparate, non simpliciter, cum Hippocrates lib. Acut. sect. 3. dicat vinum dulce vinoso minus capiti graue esse, & minus mentem tentare,* ἧσσον φρενῶν ἁπτόμενος, *quod est tamen*

Vina dulcia ebrietatem inducere.

& ip-

& ipsum dubium, nisi comparatio fiat eiusdem generis vini, cuius alterum dulce, alterum vinosum sit: namque sunt anni, quibus vite ex eadem vinum exit dulce, & quibus vinosum fit, idemque interdum primis mensibus dulce, postea vinosum euadit, vt de Apianis vuis Plinius dixit lib. 14. cap. 2. Vina primo dulcia, austeritatem annis recipiunt, & rubra fiunt. alioqui constat, vinum Corsicum dulce tentare magis mentem, quam Albanum nostrate vinosum, & græcum ex Aenaria dulce similiter mentem magis mouere, quam Asperinum vocatum, vel idem Albanum, & alia multa vinosa quidem, sed dicto græco longe viribus inferiora; sed & à Galeno proditum est, alba vina nulla esse dulcia, & rursus crassa nulla esse dulcia, quæ non etiam nigra existant, de quibus sententijs non iniuria dubitatur. Sed aliud ea res ocium desiderat. In febribus igitur, vbi tuto licet vinum offerre, Albanum quidem nostrate, quod fieri etiam solet, exhibuerim, Aminæum vero, hoc est Græcum, nequaquam.

F I N I S.

Errata, etsi leuia, sic tamen, amice lector, emendato.

Pag. 4. linea 3, de nemine, lege de nomine. 7. 6. in omni, in omni. 12. 22. in acuijs, in acutis. 14. 10. si sanguinis, si sanguis. 18. 26. sanguine, sanguinis. 21. 15. ptridis, putridis. 24. 15. pdulo, paulo. ibid. 17. rosiores, rosiones. 26. 16. drplicari, duplicari. 30. 6. occureret, occurreret, 43. 21. ὑπεριμμένοις, ὑπερκειμένοις.



REGESTVM

¶ A B C D E F.

Omnes sunt duerniones prȩter ¶ quod est dimidium



ROMAE, Apud Aloysium Zannettum. MDCI.

SVPERIORVM PERMISSV.

DE MORTE
CAVSSA PARTVS
MEDICA QVIDEM
DISPVTATIO
SED FORENSIBVS NEGOTIIS
tractandis necessaria.

Auctore
MARSILIO CAGNATO.



ROMÆ, Apud Aloysium Zannettum. MDCII.

Superiorum Permissu.

DE MORTE CAVSSA PARTVS DISPVTATIO

AVCTORE

MARSILIO CAGNATO



IN contractibus ſocietatum ab officio nomen habentium (quod eſt tam frequens, quam Vrbi Romæ, & Romanæ curiæ peculiare) ſi vita mulieris alicuius nominata ſit, illius periculo, qui pecuniam commodat, ea ſolet exceptio apponi; dum neq; ex partu, neque cauſſa partus moriatur; eaq; de cauſſa ſæpe Medici requiruntur, qui cognoſcant, & iudicent, vtrum mulier ex huiuſmodi cauſſa interierit. Itaque non erit minus vtile, quam iucundum inueſtigare, & definire, quæ nam mulieres dici debeant ex partu, & cauſſa partus decedere. Et quia magna eſt partus, & grauiditatis coniunctio, atque cognatio, & ſolet in eiſdem contractibus exceptio grauiditatis adhiberi, & par vtriuſque ratio videtur eſſe, de grauiditate quoq; diſſeretur.

Videtur autem in primis ſtatuendum,

Vtrum partus & grauiditas cenſenda ſit res naturalis, an præter naturam, namque, hoc ignorato, non

potest vere, ac firme id, quod proponitur, definiri.

Grauiditas videtur morbus.

Quę igitur mulieres vterum gestant, neque non eæ, quæ pariunt, vel peperere, tot afflictantur laboribus, tã que grauia patiuntur, vt videri possit vtraque res præter naturam. Sane constat, grauidis casus eiusmodi euenire, cuiusmodi passim exercere solent ægrotos, horrores scilicet, fastidia, absurdarum rerum appetitionem, vomitiones, doloresque varios, & febres ipsas: quæ, symptomata à Græcis dicta, morbum vt vmbræ corpora (trita ex Gal. similitudine lib. de symptomat. differ. c. 1.) comitantur. quamobrem grauiditas morbus quidam videri potest, à quo sæpe mulieres interficiuntur.

Partus videtur morbus.

Sed & partum sæpe casus sequuntur grauissimi, & mors ipsa alias dum pariunt, in ipso scilicet partus articulo, alias simulatque peperere, alias serius. solent autem puerperis accidere purgationes immodicæ, vel nullæ, vel non pro naturæ modo, item febres, dolores ad vterum, ad lumbos, ad corpus vniuersum, vlcera, & apostemata, (vt à medicis dici solent) quæ sequitur animi defectio, & nonnumquam interitus. Nec defuere, qui diserte, & palam docuerint partum esse morbum, vt Aponensis Conciliatoris diff. 106. ex Auicenna vi. 3. tr. 1. c. 2. quoniam est cuiusdam articuli magna, & singularis disiunctio. itaque & in ægris puerperis decretorios dies nonnulli dicebant obseruandos inita ratione à die ipso partus, non à die febris, statuentes febrẽ illam esse partus veluti symptoma. Hipp. *autem, tã grauiditatem, quam partum, docuit, statis dierum perio*

dis perinde atq; morbos iudicari. Sed noui etiã quosdã Iu-risconsultos existimasse pregnantem mulierẽ ægrã esse.

Verum è contrario grauiditatem, & partum res esse naturales, & naturæ consilio congruenteis, debet earundem finem considerantibus persuasum esse: nam procreatio est opus maxime naturale, quod & satis est per se manifestum, & est ab Arist. traditum lib. 2. de anima loco vulgatissimo, quamobrem tum grauiditas, tum partus est maxime secundum naturam, nec per se vmquam est præter naturam, sed ita solum, si quid, quod naturæ aduersetur, ei adiungitur, vt febris, dolor, vlcus & similia, qui vel morbi sunt, vel casus morborum comites; at grauiditas & partus morbi non sunt, cumq; auctores, cuiusmodi Aponensis diff. 106. & reliqui, quos enumerare superuacaneum sit, recipiant, partum alterum esse; alterum non esse naturalem, eo demonstrant, partum sua natura morbum non esse, cum enim alter sit naturalis, non potest esse morbus, nam res est morbus, omnium confessione, præter naturam.

Grauiditas & partus nõ sunt morbi, sed res naturales, & per se numquam præter naturã.

Nec probatur, esse partum, & grauiditatem morbos, argumento ab ijs casibus sumpto, qui grauiditatem, partumque sequuntur: nam fastidia, horrores, vomitus, & reliqua ante memorata, etsi possunt dici symptomata, vt nomen hoc symptoma omnem affectum significat, (quod & ipsum notum est, ex lib. de symptom. differ. c. 1. apud Galenum) non tamen est grauiditas morbus, nisi translate velimus dicere, morbum esse naturalem, vt de senio dicebat Arist. lib. 5. de gen.

Symptomata, grauiditatẽ, & partum comitantia, vt accipienda.

Grauiditas translate dici potest morbus.

ani-

animal.c. 4. sed quemadmodum victum, & disciplinas cum labore adipiscimur, quarum tamen consequendarum principia nobis à natura tradita sunt (ne quis omnem existimet laborem esse præter naturam; nisi ignauus homo sibi persuadeat, & vitam, & valetudinem, & virtutes ab hominis natura alienas, quo nihil magis absonum dici, cogitariue potest) ita natura comparatum est, vt animalium præstantissimum, magno parentis labore gestetur vtero, & maximis doloribus edatur in lucem, atq; adeo summum gaudium ex sobole nobilissima singulari laboris, & doloris genere compensetur: hoc, inquam, naturà comparatum est, eoque efficitur, grauiditatem, & partum res esse naturales. Quod *si tandem illa, quæ prægnantes, & puerperæ patiuntur, statuamus proprie dici symptomata, non idcirco tamen grauiditatem dicemus, aut partum esse morbum, sed prægnantibus, aut puerperis vere morbum aliquem adesse, quem dicta symptomata sequantur, ipsam vero grauiditatem, atque partum inter caussas potius, referri oportere, vt paullo post explicabitur.* Etenim, *concepto semine, tamquam re aliena, virtus naturalis mulierum præsertim, quæ nondum huic sunt labori adsuetę, nouitate quasi deterrita, suo languidius munere fungitur, calore scilicet ventris insito nonnihil fracto, & remisso, quę frigida intemperies quædam est, quam sequitur vitiosa concoctio alimenti, quamobrem citantur vomitus, fastidia, rerum alienarum appetitio, & reliqua, quæ dicta sunt, & symptomata vocabantur.*

Grauiditas, & partus possunt dici caussæ morborum.

Nec

Nec mouet etiam Iurisprudentum opinio, quoniam è contrario alij non minus probati eiusdem auctores prudentiæ negarunt grauiditatem esse morbum, immo rem esse naturalem (ut ante dixi) acceperunt, & omnino constituerunt. Itaque non est prçter naturam conceptus & grauiditas, sed morbi ab ea exorti, & symptomata, quæ illos comitantur: quæ sæpenumero tam leuia sunt, ut omnino negligantur, & eo solum çstimentur, quo sunt conceptus, & grauiditatis indices, eaq; simpliciter grauiditas naturalis vocatur. aliquando vero tam grauia sunt, ut fœtus corrumpatur, & mulier periclitetur, ac nonnumquam moriatur. eaque dici potest grauiditas præter naturam. quibus similia est de partu accipere: non est enim partus morbus: Verum qui casus partum sequuntur, alij verius morbi sunt, alij vero symptomata, quæ morbos sequuntur à partu, tamquam à caussa, profectos, nam febres, ulcera, inflammationes, quæ à partu relinquuntur, morbi proprie sunt, purgamenta vero vel nimia, vel iusto pauciora, aut nulla, dolores, animi defectiones, tamquam symptomata, morbos modo dictos sequuntur. Nec mouet idem Aponensis, cum Auicennam interpretatur, de partu, quasi de morbo, locutum: quoniam dixit, fieri quandam maximam articuli disiunctionem; nam licet primo animaduertere, & declarare, cuiusnam articuli disiunctio illa sit, deinde morbus sit, an non. Os igitur uteri insigniter aperiri, hoc est quidem necessarium, & à Galeno cum admiratione traditum lib. xv. c. 7. de usu partium,

Grauiditas aliqua præter naturã.

Symptomata partũ sequentia.

Aponensis opinio.

Cuius articuli disiunctio in partu fiat.

,, tium, cum inquit, Quod os quidem eo vsque aperi-
,, tur, vt possit fętibus facilem prębere exitum, nemo igno-
,, rat, sed quo pacto id accidat, mirari possumus, intelli-
,, gere non possumus. at natura tum hæc, tum alia omnia
,, in partu animalis admiranda machinatur commenta.
,, etenim diligenter prouidit, quo pacto fœtus, qua conue-
,, niebat figura, ad collum matricis perueniret, nec minus,
,, quo pacto, dum ipsum peruaderet, nullam partem sau-
,, ciaret, neue colon luxaret. Os ergo vteri maxime in
partu pandi necessarium est: quod pari cum admiratio-
ne Auicenna loco eodem repetijt, inquiens, Aperitur ma-
,, trix apertione tali, cuius similem non valeat efficere in
alia hora. Verum adiecit alterum, cuius mentionem
Galenus non fecit; scilicet, Et necessarium est, vt sepa-
,, rentur quædam iuncturę, & sustententur adiutorio
,, Dei excelsi præparante, vel disponente eas ad illud, dein
,, de reuertente eas ex proximo ad continuationem natu-
ralem. vult hic Auicenna, præter vteri aperitionem, fie-
ri cuiusdā articuli disiunctionem, & continuitatem in-
tercipi, quem articulum non nominauit, sed iactatur
vulgo, pubis ossa disiungi: hoc tamen, vt sensus testi-
monio caret, ita est à naturæ consilio alienum, quæ tan-
tam adhibuit diligentiam ad coniungendum ossa Ilij in-
teruentu chartilaginis in parte antica, vt hoc solo in-
telligamus, nullam debuisse fieri eiusmodi ossium disiun-
ctionem. contra vero in parte postica eadem Ilij ossa, qua
parte propinquissima sunt, infima scilicet, minime con-
iunguntur, & in feminis quoque (quod Vesalius di-

serte

ſerte ſcripſit lib. 1. de hum. corp. fabrica cap. 29.) magis, quam in viris diſiunguntur. quo licet intelligere, ſi qua fiat oſſium de ſua Sede demotio, in poſtica fieri parte, Ilij oſſibus ad exteriora modice repulſis: itaque & ſummum parientium dolorem in parte poſtica circa eadem Ilij, ſiue coxendicis oſſa percipi. teſtaturq; Ambroſius Paræus lib. 23. cap. 13. ſe pubis oſſa, diſſectis à partu ſtatim puerperis, numquam diſtracta reperijſſe, Ilij quidem oſſa ab oſſe ſacro digiti interuallo diuulſa: & ſe ſe interdum difficulter parientibus adſtantem auribus ſonum diuulſionis, & manu oſſium diſtractionem percepiſſe. itaque articulorum hæ fuerunt diſiunctiones ab Auicenna indicatę, qui non temere plurium numero dixit, quædam iuncturæ, quia vt Ilij duo ſunt oſſa inter quæ ſacrum os intercedit; ita duos neceſſe eſt articulos eſſe. Sed & Gentilis Auicennæ interpres, & Gabriel Zerbus ſcribens de partu naturali, hoc de femoris oſſe, ideſt, coxendicis, ſiue Ilij, non de oſſe pubis, accepit, & probati anatomes auctores hanc omnes ſententiam ſubſcribunt. Qualis autem cumque ſit ea diſiunctio, morbus certe non eſt: quod nec Auicenna dixit, nec ratione probari poteſt: Sed è contrario, rem eſſe naturalem (eſt autem morbus præter naturam) eo accipimus, quod ſponte, ac momento tollitur, nec opem medicam poſtulat: neque enim Galenus vocat morbum, niſi tempus aliquod affectus permaneat, trito, & peruulgato documento ex lib. de diff. ſympt. c. 1. & in verbis ante repetitis ex lib. 15. de vſu part. c. 7. ſatis hoc demonſtrauit, cum

naturæ studium exposuit ad fœtus egressum ex vtero, & illarum partium tutelam, per quas egreditur. quo percipitur, partum esse functionem prorsus naturalem. vt omittam interim, mulieres esse non paucas, quæ partus laborem floccifaciunt, eumque se facilius ferre asseuerant, quam cum semel panem conficiendo, aut vestium sordes abluendo laborant. Quodque à nonnullis dicitur, a die partus, tamquam morbi, ineundam dierum, quos vocant decretorios, rationem in affectibus, qui partum sequuntur, hoc ab Hippocratis *sententia alienum esse, ostendi in propria de ea re disputatione, ipse enim* Hippocrates *à die morbi per se, a die partus ex accidenti, supputabat.*

Dies decretorij supputandi à die partus per accidés, nō per se.

Quod vero idem doceat statis dierum periodis morborum instar grauiditatem, & partum iudicari: hoc non magis probat, hos morbos esse, quam si fructuum exortum, & maturitatem dicerem morbos eße, & omnium rerum exortum, & perfectionem item esse morbum, si quidem omnia hæc suas habens periodos, vt morbi suas. Auctor est Aristoteles lib. 2. de ortu, & interitu, inquiens, omnium est ordo, & omne tempus, & vita mensuratur periodo. vanum ergo est, si dico, morbum esse quicquid periodo mensuratur. nec Hippocrates *voluit significare, partum esse morbum, sed illam periodorum rationem, quam in partu docuerat, morborum similitudine confirmare.* Itaque *nec grauiditas, nec partus morbus est, sed res vtraque per se naturalis est.*

Tria nos rerum genera immutant.

Verum scire expedit, tria esse rerum genera, à quibus

bus permutamur, quorum primum est, in quo, vt viuamus, necessario versamur quidem, ab eo tamen non lædimur necessario, sed plerumq; iuuamur, ea vero sunt, de quibus Galenus libro art. med. c. 85. aer, alimentum, excrementum, somnus cum vigilia, labor cum quiete, animi affectus; alterum vero est, in quo non versamur necessario, sed à quo necessario, cum nobis occurrit, lædimur, vt venenum, verbera, & quę sunt huiusmodi tertium est, cui conuenit cum secundo, quoniam in eo non versamur necessario, vt viuamus, & cum primo, quoniam ab eo, non lædimur necessario, sed pro eius modo alias salutare, alias noxium est. Hęc *ipsa est, Venus, à qua non longe abest grauiditas, & partus, sed Veneris commoda & incommoda sunt à nobis explicata libro de* Continentia. *grauiditatem quoque & partum (etsi labores magni sunt) si pro naturæ fiant modo, salutares esse, cum docemur illarum experimento mulierum, quæ dum liberis operam nauant, melius valent, viduę vero, & continentes frequenter ęgrotant: tum suadet grauissimorum auctoritas scriptorum; nam* Hip*pocrates lib. de Virginib. inquit.* Ego *vero has iubeo,* " *quæ hæc patiuntur, cum viris quam citissime habitare; si enim conceperint sanæ fiunt.* " *quibus illi similis accedit ratio, qua Socrates mortem naturalem docebat esse iucundam, quoniam naturæ lege quadam iucunditas ijs rebus adiungitur, quę secundum naturam fiunt: sic igitur quę secundum naturam fiunt, ea salubria quoque esse, censemus.* Ergo *tum grauiditas, tum partus*

Grauiditas & partus salutares sūt.

 si

si secundum naturam fiat, salutaris existimandus. Itaque nec moritur mulier vel grauida, vel puerpera si secundum naturam hęc eueniant.

Grauida, & puerpera quãdo moriatur.

Moriuntur cum alienum quid & præter naturam, & illud graue, contingit: quamobrem tum grauiditas, tum partus dicitur fieri præter naturam.

Origo rerũ præter naturã in grauidis & puerperis, interna.

Quæ vero aliena contingunt grauidis, alia internam alia externam originem habent: interna est origo, si ob hiatum vteri menses grauidis singulis mensibus prodeant, si acetabula sint plena pituitæ, si acris pituita in ventrem à capite delabatur, & alui fluorem excitet, si lumborum & ventris dolores oriantur, si biliosa sit, & inde febres fiant, & regio morbo afficiatur, si repente mammæ gracilescant, & lac non appareat, si pituitosa sit, & caput idcirco doleat, febriat, & corpus colore plumbeo perfundatur, si lienosa sit, si vteri flatuosi, densi, magni, parui, & quacumque ratione ad abortum faciendum proni. Extrinsecus *vero nascuntur similes affectus, si mulier onus leuauerit, si percussa fuerit, si saltauerit, si abundantius, aut parcius alimenta, potusque acceperit, si timore, & consternatione correpta fuerit, si vociferata sit, & alias intemperanter vixerit, si quoque præter consuetudinem, acria, amaraue comederit, aut biberit: nam ex omnibus commemoratis fœtus corrumpuntur, & mulieres in periculo versantur. Quod & magistra experientia innotuit, & ab* Hippocrate *proditum est libro primo de morbis muliebribus.*

Origo earundem rerũ externa.

Non

Non solum autem ab his fœtus corrumpuntur, & ipsæ prægnantes intereunt, sed nonnumquam eadem hæ ad tempus partus perducuntur, ipsumq; partum difficilem reddunt, quem tamen peculiariter aliæ graues excipiunt affectiones, à quibus & mulieres pereunt: si videlicet purgatio non fiat debita, vel fiat immodica, si secunda non egrediatur. Purgatio *verò non fit, quia solent vteri à partu inflammari, & durescere: quapropter occludũtur, & idcirco alias putrefactis purgamentis vlcera in vtero nascũtur, alias venter intumescit, & lien, & crura, & dolores fiunt ad lũbos, & viscera, et ad omnem corporis partem, fiunt quoq; rigores, & febres, & deliria, & surditas, & cæcitas, & sanguinis vomitus.* Purgatio mulieris cur non fiat

Fiunt verò immodicæ purgationes ore vteri ob violentum fœtus egressum amplificato, & venis quibusdam ruptis, & ea propter etiam febres, rigores, horrores, cibi fastidia, macies, imbecillitas, pallor, tumor. Si secunda intus relicta sit, febres, & dolores fiunt magni, & alias purgamenta fiunt parcius, alias abundantius, quam par est, venter augetur, & durescit, febres & rigores fiunt. Purgationes immodicæ.

Quæ *verò de partu dicta sunt, de abortu quoque dicta putabis, qui nihil aliud esse à multis creditur, quam partus intempestiuus: & ex abortu nõ secus atq; ex partu grauia patiũtur, & in simili discrimine versantur: si quidem tum grauidæ, tum puerperæ, & abortum facientes ex dictis incommodis non paucæ moriuntur.* Abortus eadem & partus ratio.

Aliæ tamen citius, aliæ serius pro corporis, & affe-

ctio-

ctionis ratione, vt inquit Hippocrates lib. 1. de morb. muliebr. n. 53. & pregnantem biliosam, & ægram, speciatim dixit lib. eiusdem num. 42. vno & triginta diebus plerumque interire. & n. 44. puerperam pituitosam dixit mori diebus quinque, & quadraginta, deq; alia, cui purgatio non facile procedit lib. eiusd. n. 52. & 53. dicebat, non excedere vnam & vigesimam diem.

Periculũ interitus ex partu quamdiu manet. Purgationis à partu tempus.

Periculum scilicet interitus ex partu tamdiu manet, quamdiu purgatio à partu naturaliter procedit, & diutius, si quid præter naturam contingat. Naturaliter autem Hippocrate auctore libro de natura pueri n. 10. & lib. 1. de morb. muliebr. n. 89. Si fœtus fœmina sit purgatio diebus sit duobus, & quadraginta, licet fieri possit citra periculum diebus viginti quinque, si vero masculus sit diebus triginta, licet viginti quoque citra periculum fieri possit; quamquam longius etiam huic purgationi spacium Moses tribuiße legatur, nam edito mare dies tres & triginta, edita femina duplum, scilicet sex & sexaginta constituit Leuitici c. 12. quod vero Hippocrates docuit illud est, quod est proditam ab Auicenna 21. 3. tr. 2. c. 33. quodque veluti compendium est eorum, quæ de partu ab Hippocrate tradita sunt, de quibus ante dictum est. Partus, inquit, Auicenna non extenditur in masculis vltra triginta, & in feminis vltra quadraginta dies, & plus parum. & accidunt fœtis ægritudines plurimę, sicut fluxus, & retentio sanguinis, quare perducit fluxus sanguinis ad casum virtutis, & perducit retentio menstruorum ad

Auicēnæ locus perpenditur.

febres

febres prauas, & apostemata, & multoties accidit "
exitura in partu difficili: & quandoque accidit eis in- "
flatio ventris, & fortasse moriuntur, & sanguis qui- "
dem partus vehementioris est nigredinis, quam san- "
guis menstruorum, & quoniam est retentionis longioris "
spacij. Hæc *Auicenna, cuius sententiam nec Aponen. diff.* Aponen. & Iacobus de partibus notantur.
dicta 106. *nec* Iacobus *de partibus recte accepit: pu-*
tant enim, sermonem hunc esse de tempore partum præ-
gresso, in quo parturа percipit aliquas affectiones, quæ
sint futuri partus indices: sed ea vana est interpratatio,
quam nec rationibus, nec auctoritatibus probarunt. Ve
rum loquitur Auicenna de tempore, quod sequitur par-
tum, & posterior Interpres *pro eo, quod vetus interpræ-*
tatio habet, Partus *non extenditur, habet, enixatio,*
siue enixæ tempus non extenditur &c. & est tem-
pus puerperæ purgationi destinatum, de quo modo ex
Hippocrate loquebamur. & cum dixit vltra quadra-
ginta dies, subiunxit ea, & plus parum, ob duos dies,
quos Hippocrates *vltra quadraginta memorauit, in*
quo interpretes Auicennæ cæcutiuisse, iam constat. Il-
lud recte Aponensis loco antedicto scripsit, Tempus au-
tem purgationis femellæ quadraginta ponitur diebus, "
de generatione embrionis &c. scilicet hic est locus Hip- "
pocrat. in libro de natura pueri, de quo ante dictum est.

Quod *vero adiecit Aponen. ex Leuitico, Mosen ve-* Locus Mosis.
tuisse, puerperas tamquam immundas ingredi in San-
ctuarium, nisi post diem octogesimum in partu feminæ,
& post quadragesimum in masculo, hoc videtur qua-

dam

dam egere correctione, nam Leuitici c. 12. fit mentio in partu masculino dierum triginta trium, & feminino dierum sexaginta sex, & licet fiat mentio dierum septem purgationis in maribus, & quatuordecim in feminis ex quibus cum triginta fiunt quadraginta, & cum sexaginta sex fiunt octoginta, tamen non constat, Mosen voluisse, dictos septem in mare seorsim accipiendos à triginta tribus, & quatuordecim in femina similiter seorsim accipiendos à sexaginta sex, vt ex his fiant octoginta, ex illis autem fiant quadraginta, hoc inquam non constat: cum septem possint cum ipsis triginta tribus tãquã pars quedã totius eius numeri, & quatuordecim cum sexaginta sex similiter connumerari, Sed hoc obiter.

Purgatio sane à partu in maribus est dierum triginta, & in feminis duorum & quadraginta, quod in vtroq; tempus est longissimum. hocq; de partu naturali accipiendum est. alias vbi aliquid partui contingit præter naturam, vt potest purgatio ante debitum tempus cessare, ita potest vlterius produci, atque adeo incertum est tempus ex partu moriendi, nam potest mulier in partu tam maris, quam feminæ intra vigesimum diem à partu interire, vt dictum est lib. 1. epid. sect. 3. de Philini vxore, quæ in ipsa vicesima mortua est, & de vxore Dromeadis, quæ sexta die interijt, & lib. 3. sect. 2. de ea, quæ decumbebat in Mendacium foro, quæ perijt die decima quarta. potest quoq; puerpera ægritudo extendi vltra dies dictos triginta in maribus, & quadraginta in feminis: etenim idem Hippocrates *lib.*

Incertum tẽpus moriendi ex partu.

1. Epidem.

1. Epidem. sect. 3. ægrum 5. Epicratis vxorem, cum postridie à partu febre correpta esset, dicit, perfecte iudicatam, hoc est liberatam die octogesima, & lib. 3 sect. 3. aic in Thaso decumbentem apud frigidam, cum à partu purgatio facta non esset, & febris acuta corripuisset, mortuam die octogesima (vtraque femellam pepererat) itaque ægritudinem ex partu perductam docuit ad diem vsq; octogesimum. Sed non est hic status, & immutabilis in huiusmodi ægritudinibus temporis terminus, nam potest multo longior fieri progressio pro ægritudinis natura : neque enim à partu morbi fiunt dumtaxat acuti, sed fiunt multi quoque diuturni, qui ad multos menses producuntur; quamobrem intelligimus terminum dierum triginta, vel quadraginta, non esse, vltra quem ex partus caussa mulier non moriatur, sed vltra quem morbus non fiat, qui sit partui imputandus. Tẽpus, quo morbus nascitur ex partu. *nam caussa partus dumtaxat oriri morbum existimamus, cum intra tempus oritur, quo purgationes à partu prodire solent, vt dictum est, habita marium & feminarum ratione. intra id vero tempus quacumque die mulier ægrotarit, partus caußa, vel occasione incidisse in ægritudinem dicenda est, (etsi constaret caussam aliam quamcumque ad partum accessisse) Hippocrates enim aliquando scripsit, ipso die partus ortam eße ægritudinem vt lib. 3. Epid. sect. 2. ægro 12. vt etiam die abortus dixerat in ægro 10. aliquando vero postridie à partu, vt lib. 1. Epidem. ægro 5. & 11. aliquando tertio die, vt in eodem 3. Epidem. sect. 3. ægro 2. aliquan-*

do die quartodecimo, vt lib. 1. Epidem. sect. 3. ægro 4.

Hippocrat. partũ, abortum, & grauiditatem, tãquã caussas morborum quasdam recensset.

Nec dubitandum eas mulieres partus caussa, vel occasione ægritudine correptas quoniam Hippocrates non alia de caussa partum memorauit, quam vt caussam indicaret ægritudinis, vt cum abortum memorat lib. eod. 3. sect. 2. ægro 10. & 11. & grauiditatem vt lib. 1. sect. 3. ęgro 13. Sic enim solet, caussas ægritudinum afferre, vt patet ex alijs narrationibus, ac præsertim in mulieribus, quæ vel citra partum, & abortum, & citra grauiditatem ęgrotarunt. sic enim ad finem lib. 1. Epid. in Melidia paucitatem mensium accusauit, & in 3. lib. sect. 3. in Thaso mulierem dixit ex mœrore cum occasione ægrotasse, & ex simili caussa Dealcis vxorem, & in 7. lib. Cleomenis vxorem ex lassitudine, & Pausaniæ filiam ex fungi esu ęgrotasse narrauit. Sed & in alijs multis caussas ægritudinum recensuit, vt lassitudinem, potationem, exercitationem intempestiuam, calefactionem, victum prauum, cursum, venerem, quibus manifestum fit, abortum quoque partum, & grauiditatem, tamquam caussas ægritudinum narratas esse. Nec dubitandum quia non dixerit ex grauiditate, vel abortu, aut partu morbos exortos, vt dixit, ex lassitudine, ex potatione, & similia, nam satis superque notum existimabat, hasce caussas esse morborum: immo cum in hisce narrationibus memorato partu, aut abortu, aut grauiditate caussam aliam numquam exposuerit, eo indicauit, his se caussis acquieuisse.

Itaque

Itaque concludendum est, non solum eas, quæ moriuntur in ipso partus articulo, partus caußa interire, sed illas etiam, quæ post partum moriuntur; etiam post diem tricesimum, & quadragesimum, dum morbus oriatur ante diem tricesimum, si masculus ortus est, vel ante diem quadragesimum, si nata femina est.

Quæ dicantur partus caussa interire.

Neque mortis tempus est obseruandum, & æstimandum, sed ægritudinis principium, cum enim (vt ante dixi) morborum alij breues, alij diuturni sint, omne genus occasione partus nasci potest; cumq; in vtroque genere letales morbi sint, & idcirco partus occasione diuturnus, idemque letalis morbus nasci poßit, ergo potest mulier occasione partus diu ægrotare, & perire post dies, non solum quadraginta & octoginta, verum etiam post plures menses. Sed vt intelligatur partus caußa perierit necne, initium est ægritudinis obseruandum, & his non est dißimilis ratio abortus. itaque Hippocrates *lib. 1. de morb. mul. inquit, Transmutationes, & fines eosdem morbus habet, siue ex fætus corruptione, siue ex partu vteri vlcerati fuerint. De grauiditate minus dubitari potest, nam tempus eius statutum est, nec potest mulier effugere, quin pariat, vel abortum faciat, nisi pereat ante partum, vel abortum. atque tunc non est obscurum perierit nec ne in grauiditate.*

Non tempus mortis, sed ægritudinis principium obseruandum.

Abortus similis partui

Quæres fortaße, vtrum quæuis ægritudo superueniens mulieri vterum gestanti; quamobrem mulier ea moriatur; imputanda sit grauiditati. cui quæstioni ex Hippocratis *auctoritate respondendam est, qui Aphorism.*

Aegritudo quæuis superueniens grauidis imputâda grauiditati.

„ *rism. lib. 5. aph. 30. inquit, Mulierem vtero geren-*
„ *tem morbo corripi acuto, letale. At nonne morbus omnis acutus letalis est? hoc sane* Hipp. *docuit lib. 1. acut. t. 8. cur ergo notat in grauida letalem esse morbum acutum? sane superflua videtur admonitio, nisi indicare voluit, grauiditatem grauius periculum efficere, quamobrem, quæ alias potuisset euadere, eo nomine quod grauida est, perniciosiore morbo correpta, in grauiore discrimine versetur, quamobrem mortem grauiditati imputandam* Hippocrates *voluit. vtque non refert, morbum eundem acutum, posse extra grauiditatem interficere; etenim vult nihilominus* Hippocrates *grauiditatem caussam esse; ita non refert, vtero gerentem incidere in morbum, non quia prægnans sit, sed ex alia caussa manifesta, vt ex saltatione, ex intemperantia, & alijs quibuscumque, nam ostensum est, nullam mulierem ex grauiditate, quæ secundum naturam est, perire, sed accedente casu aliquo prçter naturam, à caussa interna, vel externa, quapropter cum mulier grauida, morbo correpta ex quacumque caussa periclitatur, grauiditati periculum & mors (si sequatur) imputanda est. & grauiditatis exceptioni locus dandus.*

Vtrum oriri morbus ex grauiditate possit intra diem 23. & concepisse mulierē dictō tempore cognosci.

Sed fuit olim proposita quæstio, vtrum diem intra vigesimum à primo concubitu mulier incidere in morbum possit, qui sit grauiditati imputandus: quamobrem si vel intra hos dies moriatur, locum habeat exceptio dicta, quia prægnans defuncta sit. Inde autem oritur dubitatio, quod nec tam paucis diebus intelligi possit, mulierem

lierem concepisse, & vtero gerere, nec Galenus visus sit voluisse, morbos ex grauiditate intra dictos dies oriri, cum cittam vocatam, pręgnantibus familiarem, docuerit, non nisi secundo, aut tertio mense fieri lib. 1. de sympt. caus. c. 7. Verum, intra tempus propositum, & fieri morbos, & grauiditatem dignosci nihil est, quod prohibeat, & debeat dissuadere. Morbis orituris tem- Morborum ortui nullũ
pus nullum pręfinitum est, & quocumque tempore mor- tempus prę
borum causę pręsto sint, morbi nascuntur, si corpus ad finitum
ęgrotandum paratum sit. Si ergo grauiditas (vt ante dictum est) morborum, pro corporis constitutione, caussa est, poterit mulier grauida quandocumque morbum concipere. Quod si Galenum putes docuisse, primo mense grauiditatis Cittam non fieri: tamen non est aliarum par ægritudinum ratio. Sed nec Cittam Galenus ne- Cittam fieri
gauit primo mense fieri. quinimmo, posse fieri, ex eius- primo etiã
dem verbis accipimus, nam loco dicto inquit, Sic affi- mense. ,,
ciuntur plerę que vsque ad secundnm, & tertium men- ,,
sem, in quarto vero desinunt. quæ verba clare signifi- ,,
cant terminum, vltra quem Citta non fiat, sed non vnde incipiat. relinquunt tamen, vt intelligamus posse oriri primo mense, & ad quartum perduci, legitur enim ἄχρι τοῦ δευτέρου, καὶ τρίτου μηνὸς, *at prępositio* ἄχρι *significat terminum ad quem, non à quo (vt dici solet) cuius termini, à quo, Galenus mentionem non fecit, vt rei notę, & receptæ: namque cum primum mulier concepit, eo potest morbo aliquo corripi, nec minus Citta. cumque hic Galenus subiungat, se locutum de tempore, quo*

fœtus

fœtus conceptus dicitur græce κύημα, non autem ἔμβρυον, nostram interpretationem confirmat, nam Aristoteles lib. 7. de hist. animal. c. 3. docuit, ἔμβρυον dici fœtum dierum quadraginta, κύημα vero tum hunc, tum iuniorem. ergo non excluditur primus mensis, sed potest illo mulier tum alias, tum Citta ægrotare. Quod potest quoque sumi ex Galeni eiusdem ad 5. aph. 61. vbi ait, fastidia nasci in grauidis eadem, qua pica ratione: sed fastidia oriuntur primis diebus ergo, & citta potest, quia ab eisdem caussis oritur. Sed accedat Aristotelis testinium ex eiusd. lib. 7. de hist. an. c. 4. diserte tradentis, grauidis mulieribus accidere corporis totius grauitatem, oculorum caliginem, capitis dolores, his quidem die decimo, his autem tardius, vt magis, minusue à materia superuacanea tentantur. Sed, hoc, demum, Hippocratis fuiße consilium, licet inde accipere, quod morbos prægnantium plerumque describit absque temporis definitione, & quamuis multi sint, qui nonnisi fætu adulto fieri possunt, tamen non desunt, qui fieri omni tempore possunt.

Cõceptum primis diebus cognosci posse.

Quod vero cognosci possit intra diem vicesimum tertium, mulierem concepisse, & vtero gerere, non est difficile ex veterum documentis cognoscere, Hipp. primum 5. aph. 62. inquit, "Si mulieri cessent purgationes "neque febris, neque rigor superueniat, & fastidia inci- "dant, indica ipsam in ventre habere. Cum autem hæc dixerit, potest sæpe contingere, vt mulier concipiat, cui menses, cum paucis ab ipso conceptu diebus accedere debuissent,

buissent, non accesserint. itaque accedentibus ad mensium defectum fastidijs, intelligitur in vtero habere, licet intra diem à conceptu vicesimum. quibus addi quoque potest, experimentum aquæ mulsæ, de quo 5. aph. 41. & lib. de sterilib. insuper Hipp. *monuit lib. de genitura, & de sterilibus, & Arist. lib. 7. de hist. an. c. 3. obseruandum, vtrum, cum vir semen emiserit, sicca vulua remaneat: in qua re obseruãda licet* Hippocrates *desideret mulierem partus peritam, tamen declarauit & partus expertem posse hoc idem cognoscere: ait enim, hoc ab alijs mulieribus percipi posse, vt fecit cantrix illa, de qua idem* Hipp. *lib. de natura pueri. demum grauitas corporis, oculorum caligo, capitis dolores dicti superius ex Arist. docent posse conceptum primis ipsis decem diebus cognosci, nedum ante vicesimum tertium, vt proponitur. Sed ex dictis apparet, posse intra idem tempus mulierem ægrotare, & interire: modo simus memores, grauiditatem nõ esse per se caussam ægritudinum & mortis, sed ob adiunctos morbos, qui tamen in grauidis periculosiores sunt, vt ante dicebatur. Sumendumque est, & inter conceptus diem, & morbi exortum, spatium, & tempus interponi, quo indicia conceptus appareant: quod intra decem primos dies fieri potest, vt dictum est: alias si concipiat simul & ægrotet, minime iudicare hoc signo valemus, eam vtero gerere.*

Si quæratur similiter de abortu, & de partu, scilicet vtrum quæuis ægritudo superueniens puerperę intra dies triginta in fætu masculo, & quadraginta duos in

femel-

Aegritudo quæuis puerperæ adueniens partui imputanda.

femella; ex qua ægritudine moriatur; sit partui imputanda, necne: respondebo, partum prorsus accusandū: hoc enim Hippocrates indicauit, cum in libris Epidemicis de mulieribus, quę à partu ægrotarunt, satis habuerit dicere, peperisse, nec magnam aliarum videatur caussarum rationem habuisse. vti quoq; cum de grauidis verba fecit: nam lib. 1. Epidem. sect. 3. ægro 4. Philini dixit vxorem peperisse filiam, & purgatione facta ex præscripto naturæ, cæterisq; recte habentibus, decimo & quarto à partu die correptam igne (idest febre vt Gal. interpretatur, ardentissima) cum rigore; sed eius rei nullam præter partum, attulit caussam, quam, si adesset, & æstimabatur, prætermittere non debuisset: dixit quidem purgationem cessasse, sed ita vt videri possit, febrem ortam prius, purgationis vero suppresšionem secutam potius, vt symptoma, quam prægressam esse vt caussam. Licet enim Galenus interpretatus sit, huic mulieri ex retenta à partu purgatione morbum & mortem contigisse; tamen hoc Hippocratis verba non significant: quod ex duobus accipitur, primumque hoc est, dixit, febrem aduenisse, cum esset purgata secundum naturam κατὰ φύσιν καθάρσιος γινομένης. Ergo non ex retenta purgatione febris orta. Nec dicendum purgationis nomine secundinæ vocatæ eiectionem acceptam: quia hæc interpretatio non est alijs Hippocratis locis consentanea, in quibus, agendo de mulieribus, reperitur hoc vsus vocabulo purgatio κάθαρσις, pro sanguinis euacuatione; sic 5. Aphorism. 61. si vtero gerenti purgationes

Examen historiæ li. 1. Epid. sect. 3. ægro 4.

eant, καθάρσιος χωρούσης; & si moueant purgationes. ἦν μὴ πορεύονται καθάρσεις, quæ ad secundas referri non valent. Itaque *hoc etiam loco purgationem intelligimus sanguinis à partu: quam necesse est perseuerasse vsque ad diem decimumquartum: quod aliquis acciperet ex ipsius vi dictionis καθάρσιος γινομένης, quod præsentis est temporis participium, perinde atque dixisset, dum purgatio fieret, itaque vt seruatum est tempus præsens in illis, leuiter agentem, κούφως διάγουσαν, nam & hoc est præsentis temporis participium; sic in hoc γινομένης debuisset seruari: quo intelligitur, purgationem mansisse vsque ad diem decimamquartum, namque ait* Hippocrates*, eo die febrem exortam, dum purgatio fieret, & alias bene haberet: sed vim dictionis huius non tanti facio: nam Græcorum non me latet in vsu temporum licentia; & in eadem oratione τεκούσῃ, quod est præsentis temporis verterunt in præteritum, & recte, idest cum peperisset: Sed me res mouet ipsa: nam si purgatio secundum naturam processit, & alias leuiter habuit, hoc vsq; ad diem, quo cœpit ægrotare, perseuerasse oportuit: nam si ante illud tempus desijsset, dici non potuisset, factam secundum naturam esse: neque contemnendum; si quis hoc confirmet eo, quod dictum est, apposito pharmaco, idest pessario vocato, ταῦτα ἐκουφίσθη, secundum hæc leuata est, hoc est dolores vteri (quos ait die decimoquarto exortos) sublati, purgatione (quam indicat eodem tempore cohibitam) reuocata, cum reliqua remanserint, & mulier defuncta sit. argumento autem*

est, febrem à retenta purgatione ortam non esse, quia renocata purgatio nihil opis aduersus febrem attulerit. Cum ergo dicitur, huic mulieri, febrem à suppressa purgatione ortam esse, interpretatio est verbis Hippocra-
,, *tis minime congrua. Accedit & alterum:* Nam Hip-
,, *pocrates inquit, decimo & quarto die ignis inuasit cum*
,, *rigore. huic cor primum dolebat, & hypocondrium dex-*
,, *trum, muliebrium dolores, purgatio desita est, quibus verbis non temere, & absque ordine res enarrauit, nec crediderim illud aduerbium, primum, sine caussa appositum: sed importune appositum esset, nisi cætera ordine narrare constituisset, eoque accipiendum, purgationem postremo loco narratam pro caußa non receptam ab Hippocrate, nam caussa vt præcedit, ita priore loco afferri debuisset; nisi quis narrata illa quatuor symptomata, eodem tempore putet exorta: & illud, primum (græca tamen significantius, ἀρχομένης cum inciperet; scilicet febrire) dolorem cordis comprehendere; & præcordij dextri, & muliebrium, & purgationis defectum; tamen cuncta hæc febre posteriora euenisse, dictio illa demonstrat: eoque efficitur, partum, licet naturalem, ægritudinis caussam fuisse, non qua naturalis fuit, sed qua nonnihil præter naturam latuisse neceße est; vt dictum*
,, *sit ab* Hippocrate *secundum naturam purgatione facta*
,, *& alias leuiter degentem, quia quod latebat, nondum apparuerat; à quo febris oriri potuit die decimoquarto, quam secuta sunt quatuor enarrata symptomata: quapropter, si suppreßio purgationis febrem induxit, hoc*

tamen debuit partui adscribi, quia purgatio in fæmina exortu secundum naturam ad diem quadragesimum per ducitur, licet possit etiam sine periculo ad diem vigesimum quintum desinere. Cum autem huic mulieri die cessauerit decimoquarto, hoc sine periculo fieri non potuit. Sed non hoc agitur, idque solum admonemur, quod Hippocrates, cum partum memorat, alio caußæ genere prætermisso, partum ipsum pro caussa accipi, voluerit: non tamen qua naturalis est, licet multis diebus naturalis videatur; quod est dignum animaduersione: nam in alia eiusdem libri narratione, dixit, Epicratis *vxorem biduo ante partum riguisse vehementer sine calore, tertio die peperisse femellam, & reliqua omnia euenisse pro ratione,* καὶ τ᾽ ἄλλα πάντα κατὰ λόγον ἦλθε, *si ergo alia omnia secundum rationem, ergo non solum secundarum eiectionem (quod aliqui dixerunt) sed & purgationem à partu factum oportuit secundum rationem: tamen productus est morbus vsque ad diem octogesimum. Ergo morbi caußa grauiditas & partus, cum lateret aliquid; quamobrem & rigor ante partum accessit; etsi naturalem fuiße partum significauit. quibus similia leguntur eodem libro de Dromeadis vxore, quæ non quidem riguit ante partum, sed femellam peperit, & alia omnia facta sunt secundum rationem, vt in priore. Verum hæc breui mortua est, nec aliam ob caussam, nisi quia partus non erat naturalis, vt videbatur, & latebat anguis in herba, quod euentus docuit.* Nec *Vallesius persuadeat, facta omnia secundum rationem quia*

secundinæ eiectæ, etenim secundinarum eiectio non sunt omnia, sed & purgationem secundum rationem à partu factam; verba illa, & alia omnia comprehendunt, nec item persuadeat morbum huic accidisse, ob purgationem suppressam intempestiue, nam si primo die partus omnia secundum rationem euenere, ergo & purgatio: cumque die altera febris orta sit, non ergo à suppressa expurgatione, ergo à partu, qui non erat, vt videbatur, naturalis, cum intus laterent, & quiescerent morbi semina, quæ non eodem semper tempore germina emittunt. Dicemus quidem à suppressa post partum purgatione, in Thaso ægrotasse mulierem, de qua lib. 3. Epid. sect. 3. ægro 2. cum speciatim scriptum sit à partu illam febre correptam, cum purgatio facta non esset, καθάρσιος μὴ γινομένης; quod etiam dicendum de illa, quæ libro eodem inferius dicta est in Cyzico gemellos cum difficultate peperisse nec valde purgatam esse, οὐ πάνυ καθαρθεῖσα, quod & libro 2. sect. 2. totidem verbis proditum est. In his ergo Hipp. satis habuit pro caussa ægritudinis partum memorasse vt lib. eiusdem 3. sect. 2. ægro 10. & 11. abortum recensuit (quo ambæ illæ mulieres defunctæ sunt) omni omissa aliarum caussarum mentione. alias tam de viris, quam de mulieribus agendo, caussas attulit nominatim varias, quarum antea mentio facta est. Itaque grauiditatem & partum satis idoneas caussas (etsi morbus alias caussas habuisset) & periculi & mortis existimabat, vt ante notatum est. Sed reprehendet hanc (video) senten-

tiam, qui hęc legerit apud Aponensem Conc. diff. 106. » *Si febrem post partum contingat fieri naturalem ex* » *malitia regiminis, & vniuersaliter à quacunque caus-* » *sa manifesta, nullo modo computandum à partu, sed à* » *febre solum, cum in nullo dependeat ab eodem, si pauci* » *etiam inter partum & febrem intercedant dies, hæc ibi.* » *quibus verbis significatur aperte, si morbus mulierem post partum naturalem corripiat ob caussam manifestam, illam partui non debere imputari. Verum quod Aponen. ait, dies ęgritudinis post partum naturalem exortę à die primo egritudinis, non autem partus supputari debere, hoc sane dictum est ex Hippocratis sententia, qui morbi cuiusque dies (etiam post partum præter naturam) à primo die morbi, non à die partus, nisi ex accidenti, vt suo loco explicatum est, numerabat. quod vero ait, si morbus oritur post partum naturalem ex caussa manifesta, nullo modo à partu pendere, hoc neque est de sententia Hippocratis dictum, neque alias demonstratum: contra vero superius demonstratum est morbos eosdem grauiditati, aut partui accedentes longe esse, quam cum alias fiunt, periculosiores: itaque contra Hippocratis sententiam, falsoque dictum est, eos in nullo à partu pendere. Ergo quacumque prægnante, vel* Conclusio. *abortiente, aut post abortum, aut pariente, vel post partum defuncta, dum intra dictos dies triginta in maribus, vel duos & quadraginta in fœminis, vel si in ipso die trigesimo, aut quadragesimo secundo morbus oriatur (quibus exactis diebus iam non dicitur partus*

caussa morbus oriri) exceptio locum habebit:

Sed quæri potest, si mulier ex quacumque caussa vtero laboraret (quisquis ille morbus sit) atque interim conciperet, & grauida, vel abortu facto, vel à partu moreretur, cui mors huius tribui deberet? num labori primo, ita vt exceptio locum non habeat? nequaquam: si namque cum illo labore ita vixit, vt concipere potuerit, dubio procul absque conceptu viuere diutius potuisset, ergo mors ea tribuetur grauiditati, aut abortui, aut partui, & exceptio locum habebit.

Quæri quoque potest, si mulier vtero ex quacumque caussa laboret, interimque concipiat, & post abortum, aut partum intra tempus dierum triginta, aut duorum & quadraginta ægrotaret, & sanaretur vel intra, vel vltra eosdem dies, atque manente eodem vteri labore aliquot diebus, quotcumque vltra præfatum numerum eodem iterum morbi genere capiatur & pereat, erit ne mors partui, vel abortui tribuenda, quoniam recidiua sit, quæ naturam refert prioris morbi & in eiusdem morbi caussas refertur? nequaquam: quoniam vbi sanata semel est post partum, vel abortum, iam est illi status, in quo fuit ante conceptum, restituta: quo tempore si ex vteri labore perijsset, nulla exceptionis ratio habenda fuisset, cum neque grauida esset, neque abortum fecisset, neque peperisset. Similiter igitur eadem prætereunda exceptio est, cum post recuperatam valetudinem iterum ægrotat, sed extra tempus puerperarum purgationi assignatum. Neque dicenda est re-

cidiua simpliciter, quæ in partum, vel abortum referenda sit, quia dictum extra tempus iam nulla vis est, & ratio habenda est nulla partus, vel abortus: cumque sumatur, illam sanitati pristinæ restitutam, necesse est, vitium illud vetus vteri à noua caussa externa vel interna, vt contingit sæpe sine conceptu, irritatum esse.

Sed quæsitum est illud quoque, si vterus, antea bene & secundum naturam constitutus, dum grauida mulier est, vitium contrahat, aut post abortum, vel partum; ęgrotetque mulier intra purgationis tempus, si interim occidat, mors ea partui, aut grauiditati tribui debet, vt dictum est; sed sana hęc euadat quandocumque: Si vltra purgationis tempus denuo eodem morbo capiatur, & noua caussa nulla accesserit, erit ne secundus hic morbus grauiditati imputandus, aut partui, adeo vt exceptioni sit locus? omnino, si constet nouam caussam nullam aduenisse, quoniam recidiua est, cuius eadem est, & prioris morbi natura, atque cessauerit licet caussa remotior, grauiditas, vel abortus, vel partus, propinqua tamen eadem manet, vteri scilicet vitium à remotioribus illis caussis exortum, in quod sequens morbus referendus est. Verum esse hanc recidiuam, & nullam aduenisse caussam internam saltem (si fortaße de externa essemus certi) hoc est ad probandum, & demonstrandam difficillimum. Nec similis casus est ei, de quo dictum est ante, si morbo capiatur mulier grauida, vel à partu, aut abortu, accesserit licet alia euidens caussa, & intereat; mortem esse grauiditati,

tati, aut partui imputandam. non est res ea, inquam, similis: nam in hac extat nota caussa ægritudinis graniditas, aut partus, aut abortus, sed in re proposita nihil est quod doceat esse recidiuam, & vteri vitium semper perseuerasse, a quo vt prior, ita posterior morbus exortus dici possit: nam etsi potuit perseuerare, & interim non esse molestus (vt est in omnibus rebus vicissitudo quædam laboris, & quietis) non est tamen necessarium, & perseuerasse vitium illud, & ex eo morbum letalem ortum esse, hoc est ex ijs, quæ nequeunt probari, & demonstrari; propterea que in hoc casu locum exceptio non habebit.


F I N I S.



APPENDIX DISPVTATIONIS DE MORTE CAVSSA PARTVS

AD IVLIVM BENIGNVM I. C. Clariſsimum, in Romana ſchola profeſſorem primarium, ſacræ Conſiſtorialis aulæ, & pauperum aduocatum.

Marſilius Cagnatus.




ERMO ille, quem habuiſti mecum proximis diebus, Iuli ornatiſſime, poſtquam typis data erant, quæ de morte cauſſa partus ſcripſeram; cum diceres, videri quidem tibi, me apte ſatis ad rei naturam explicandam ſcripſiſſe, ſed laxam nimis viam exceptioni; cuius cauſſa ſcripſeram; feciſſe; me adduxit, vt hac ad te perbreui epiſtola ſummam fere quandam rei diſputatæ, & veluti appendicem antea ſcriptis adiungerem, & adhuc nonnihil adumbratam ſententiam meam, colore quodam inducto, magis exprimerem.

Exceptio igitur, iam recepta, non vt inanis apponi-

tur, sed ut efficax sit. quo autem pacto efficax sit, hoc definire necesse est. Cum itaq; partus per se caussa mortis minime sit; quia res est maxime naturalis; debet partui aliquid accedere, quod valeat per se mortem inducere. Sed considerandum est in primis, duas esse in exceptione particulas, videlicet, ex partu, & caussa partus, & praepositionem, ex, in prima particula, significare, quod Iuris Consulti dicunt, caussam immediatam, quia contingit mulieres nonnullas, ex partu difficili & laborioso confestim interire, vel quia fœtus grandior; quo nomine primiparae praesertim laborant; vel quia egreditur in pedes, vel in nates, pedibus ad caput conuersis, & similia, vel quia fœtum in vtero extinctum necesse est vi magna extrahere, quem laborem non ferentes aliquae subito intereunt, cuius interitus non alia est caussa, quam partus difficilis; ideoque mulier ex partu defuncta dicitur. Altera vera particula, caussa partus, non idem significat, quod prima, nec frustra creditur apposita. Diximus autem, partum per se numquam esse caussam interitus, sed ex accidenti (vt dici solet) & oportere partui adiungi aliud, quod per se letale sit, & vera sit caussa mortis. Verum dicitur, caussa partus, quia ad caussam illam interitus veram adiuncti partus labores, rem periculosiorem efficiunt, neq; aliud in hac secunda particula nomen, caussa, significare potest, quam occasionem; est autem occasio tempus aptum ad aliquid faciendum, vel patiendum; & caussam pro occasione accipi, notius est, quam hoc loco debeat expli-

cari. Quod vero per se potest puerperam interficere, hunc necesse est morbum esse, quem non producit ipse per se partus, sed si quæ caussa morbi ad partum accesserit. quæ tum interna, tum externa potest esse; & morbus potest oriri in ipso partus articulo, vel paullo post eodem die, vel postridie, vel multis post diebus vsque ad trigesimum in maribus, vel quadragesimum secundum in feminis; hi namque termini sunt, intra quos puerpera, eo nomine, quo peperit, obnoxia morbis est. Hisque intelligimas (si attentius inspiciamus) nec ipsum partum difficilem ante dictum per se interficere, sed ob id, quod ei accedit præter naturam, quamobrem cum labore maximo vterus aperitur, & tamquam vulnere magno, & letali afficitur. itaque cum dicitur, ex partu, ad significandum (vt dictum est) caussam immediatam, illud potius dicitur, quod videtur, & existimatur, quam quod vere est. Interim igitur, dum rei naturam sequimur, mortem dicimus induci à morbis ad partum accedentibus (à quacumque caussa etiam externa nascantur) si non vltra dictos terminos oriantur; licet vltra producerentur: etenim morborum exortus obseruandi, non exitus; eaque videtur mens fuisse contrahentium, exceptionem tamdiu locum habituram, quamdiu manet periculum, quod imminet ob partum: manet autem toto dicto tempore, habita sexus ratione. Si vero spatium hoc fæuoris ratione laxum nimis videtur, lege est definiendum, intra quot dies à partu, morbus eiusmodi censendus sit, qui exceptioni locum prabeat. & definien-

niendum quoque, vtrum exceptio recipienda sit, vel reijcienda, cum morbi à caussis externis intra dictum tempus nascuntur. quorum quia neutrum lege definitum est, ideo rei naturam consideramus, & sequimur.



MARSILII CAGNATI DE LIGNO SANCTO

PRIMA DISPVTATIO.





ON est, quod aliquis miretur amplius, incredibilem opinionum varietatem in plantarum generibus diuersarum recognoscendis; etenim non illæ sunt dumtaxat huius diuersitatis caussę, rerum genere differentium similitudo, nominum confusa varietas, linguarum diuersitas, auctorum in ijs describendis negligentia, & aliquorum (dicere liceat) imperitia: Sed pręterea ambitio, animi contumacia, lucri cupiditas, & insitum quorundam studium contradicendi, & nouas, licet absurdas, opiniones suscitandi. Quod experti nuper sumus, dum ageretur de ligni cuiusdam, quod sanctum vocatur, recognitione: cum res iamdiu citra controuersiam probata, & in vsum citra omnem suspicionem recepta, ad disquisitionem per sciolos nonnullos, rerum cupidos no-

narum, reuocata esset. De qua re, postquam in publico congressu diuersorum opiniones exploratæ sunt, & auditæ, necessarium quoque visum est (quod facile quiuis confiteretur) ea litteris tradere, quæ veritatem patefecerent, atque illustrarent.

Dubitatum est igitur de huius ligni tum genere, tum salubri facultate: propterea quod lignum sanctum verum non videatur: Sed (vt quibusdam persuasum est) nouum sit ligni genus, nunc primum Romam *delatum, & illud syluestre, ac fabrorum potius opificijs, quam medicinę idoneum. quod minus pingue sit, vt pote ex quo oleum extrahatur minore copia, quam ex ligno ipso sancto. quod ei cortex non adhæreat vehementer, sed facile decidat. quod rimis nonnullis dehiscat. quod ex nauigatione vitium aliquod contraxerit. quod ex eo decoctum (vt vocant) conficitur acrius multo, quam ex alio quodam genere, quod solum vere lignum sanctum, & guaiacum à nonnullis creditur. quod demum obseruatum sit illis, qui huius decocto vsi sunt, nocuisse. Verum, vt intelligatur, quale sit hoc ligni genus, de ligni sancti nominibus, & differentijs necesse est nonnulla ex auctoribus repetere. Atque illud* Nominum confusio. *in primis ex* Fallopio, *qui libro de morbo gallico cap. „ 39. inquit, habemus igitur guaiacum, & lignum san- „ ctum, quamuis in consultationibus sumamus has arbores indifferenter: quibus verbis significauit, illud, quod vere guaiacum est, ex descriptione Consalui Ferdinandi, vocari consueuisse lignum sanctum.* Quæ *fuit no-*

nominum confusio Brasauodi quoque tempestate, qui libro de morbo gallico, differens de guaiaco, inquit, vocatur & lignum sanctum, & palum sanctum, & lignum crucis. haec ille. Cumque iam diu proditum sit, lignum, quod ex insula Sancti Dominici ferebatur, dictum esse guaiacum; & quod ex insula Sancti Ioannis dictum esse lignum sanctum, tamen Alphonsus Ferrus scribens de morbo gallico, & ligno sancto, duo haec, & tertium, quod ex insula sanctae crucis vehebatur, vocauit promiscue lignum sanctum. itaque de nomine certandum non est; statuendumq; ligni sancti nomine guaiacum etiam significari.

Sunt igitur duo iam ligni genera, hoc nomine alterum, cuius fuit Romae postremis hisce temporibus vsus admodum vulgaris, & frequens, meditulliumq; habet nigrum quidem, aut nigrescens ex rufo, sed orbe non magno, nam lato valde circundatur albente circulo (vocamus autem nigrum, licet aliquando color videatur medius nigrum inter & rubrum, & leonatum appellant) alterum vero, cuius non fuit his eisdem temporibus frequens adeo, & vulgaris vsus: cuius nigrescens meditullium tantum est, vt albens circulus vix aequet digiti crassitudinem. estque in hoc genere varietas aliqua, nam alterum habet medullam altero nigriorem. Sed est genus tertium ab his diuersum, quod nigri quidem habet plurimum, sed partem albam distinctam habet nigris intercurrentibus latis maculis, fere quadrangularibus, quibus externus ille circulus Ligni sancti differentia.

ex albo, & nigro distinctus, coronæ cuiusdam speciem exhibet, cuius decoctum amarum quidem; sed absque acritudine percipitur: videtur denique genus quartum esse, quod rufum est fere vniuersum, cortice excepto, quodque in eius medio nigri aliquid apparet: cuius decoctum est sine acrimonia medice amarum, de quo Brasauola locutus est, vt paullo post visuri sumus.

Sed neque de hoc, neque de tertio genere controuersia erat; deque neutro locuti sunt, qui secus opinantur. Sed quæsitum est de secundo genere, ac primo: Vtrum sit vnum ligni genus, an duo, quorum alterum sit lignum sanctum, alterum minime: hoc igitur explicandum est, quo etiam vtrum sit præstantius, & efficacius intelligatur.

Lignũ propositũ vtrũ sit lignum sanctum.

Constat igitur primum, neutrum horum esse genus illud tertium, quod Fallopius negabat reperiri eius tempestate, quoniam illud erat sine vlla nigredine, & substantia constabat tota, vt ille inquit, flaua. cuius tamen generis aliquid Romæ videmus à pharmacopolis exponi, cuius aliud pene nihil habet nigri; aliud minimum. quod non est positum in controuersia. Nec est hoc, *de quo disseritur, quartum illud à Brasauola descriptum, cuius meditullium fere totum erat rubrum; de quo nihil aliud docere potuit, nisi id, quod pharmacopola quidam Venetijs dicebat, lignum esse* Indicum, *& saluberrimum, cum alioqui Brasauolus eo numquam se vsum professus sit. nisi decepti sint, quod pro diuerso ge-*

 nere

nere acceperint, illud, cuius meditullium interdum, (vt dictum est) ex nigro vergit ad rubrum, cum vnum sit, atque adeo quartum hoc esset alterum ex dictis: quod est valde probabile, cum facile sit in re noua, & paucis bene cognita, labi, & decipi.

Sed neq; sunt duo illa ligna ex vna & eadem arbore, vt alias quidam existimarunt, qui sibi persuaserunt, nigriora ligna ex trunco caesa, minus nigra ex ramis: Non ita res habet, nam, si non conniuentibus oculis rem exploremus, facies eadem in maioribus lignis, atque in minoribus apparet, cuius scilicet arboris truncus habet exiguam nigredinem, eiusdem & rami habent exiguam, & cuius truncus amplam habet nigredinem, eiusdem; & rami amplam habere reperiuntur, ergo non est arbor vna, sed duas esse necessarium est.

Si quaeratur, ex his vtrum sit Guaiacum nuncupandum, dicam, vel vtrumque, vel id, quod orbem internum nigrum habet amplissimum, & albente angusto circulo vestitur: namque huic illa congruunt adamussim, quae de Guaiaco auctores, huius rei studiosi, iamdiu antea prodiderunt. vtrumque Guaiacum dici posse; Manardi Ferrariensis auctoritate comprobari potest, qui, in epistola ad Cracouiensem Episcopum, vtrumque descripsit: cumque tertium dicat vocari proprie lignum Sanctum, & primum vocet guaiacum; de secundi nomine nihil dicat; si tertium proprie lignum sanctum dicitur, reliquum est, vt secundum quoque Guaiacum dicatur. Quod si cui haec argumentatio minus Nomen Guiacum cui conueniat.

nus

nus arrideat, saltem Manardus docuit; primum genus, cuius pars interior nigra magna est, exterior autem alba modica, Guaiacum esse, atque adeo lignum hoc, cuius est vsus Romæ minus hodie frequens, ipsissimum Guaiacum esse, intelligitur. quodque descriptum est à Monarde *Hispalensi medico (cui multum hac præsertim in re tribuendum est) hoc ipsum est, aut nullum, cum dicat, Guaiacum habere matricem magnam, & nigricantem: cum alterum, cuius est vsus hodie frequentior, matricem, vocatam, nigricantem habeat exiguam: quod tamen non negauerim esse ex* Guaiaci *genere, sed equidem dixerim, esse aliud ab eo, quod est à Monarde descriptum, ad cuius manus, par est, tantum illud peruenisse, quod ipse descripsit, qui cum faciat illius quoque mentionem, quod ex insula Sancti* Ioannis *de portudiuite affertur; quod ait esse priori quidem simile, sed inferius magnitudine, & propemodum sine matrice; hoc non primum est, vt ille ait, nec secundum potest esse: nam secundum quoque matricem habet nigrescentem, & eam satis magnam, etsi minorem ea, quæ in priore ligno est amplissima: & præterea non est arbor priore inferior celsitudine: vidimus enim Romæ, atque nunc extant, crassissima ex eo trunco ligna, quæ excelsam non minus priore arborem hanc esse demonstrant.* Itaque *necesse est, statuere, secundum hoc genus fuiße Monardo incognitum.* Consaluus Ferdinan*dus, qui naturalem* Indiarum *historiam primus scripsit, & primus orbi nostro lignorum huiusmodi figuram ver*

bis

bis exhibuit; cum dicat, Guaiacum non solum nasci in insula Sancti Dominici, Sed celebre quoque illud esse, magnique aestimatum, quod ex insula beata vehebatur, & Indos alios, atque alios, Guaiacum aliud, atque aliud, vt illis videtur, seligere, dicatque Guaiacum habere materiam propemodum nigram; nec de amplitudine eius, vel angustia, quicquam scribat: locum relinquit nobis intelligendi, Guaiaci nonnullam esse varietatem, praesertim ex soli varietate, quamobrem aliud matricem illam nigram habeat alio vel ampliorem, vel angustiorem. itaque relicto tertio ligno; quod in insula Sancti Ioannis nascitur, cui peculiariter fuit nomen lignum sanctum: duo dicimus esse Guaiaci genera in Vrbe, illaque in primis mutuo diffidentia matricis nigrescentis amplitudine. Quorum illud, quod matricem habet amplissimam, non est nuper in Vrbem delatum, sed multos iam ante annos. quod aromatarij testantur multi, praesertim seniores, & mercatores: & affirmatum est (quod maioris ponderis testimonium est) ab homine Romano, medicoque clarissimo: qui cum summa laude, & admiratione annos fere quinquaginta exercuit in ipsa Vrbe medicinam; Alexandro Petronio, scribente de morbo gallico iam ante annos triginta sex: is enim libri quarti capite primo, caute admodum haec lignorum genera describens, quae in Vrbem ad illud vsque tempus delata, testatur, primum ait genus vocari Guaiacum, cuius interior pars nigricat, exterior sub pallida, & veluti lineis quibusdam ad fuscum Lignum de quo agitur non est nouú in Vrbe.

incli-

inclinantibus, ac æque distántibus per longum interse-ꝛcta. alterum vero peculiari nomine carere, cuius pars exterior magis ad album vergit, neque est tam manifestis lineis distincta, interior vero nigrum quidem colorem ostendit, sed minori orbe, quam prius. Ergo *lignum hoc aliorum nigerrimum Roma non iam primum, sed diu ante vidit, & experta est. Sed non Roma solum verum & reliqua* Italia *: namque Manardus Ferrariensis loco ante dicto duo hæc eadem ligni genera describit, quemadmodum & tertium, quod totum est album, vt à* Petronio *quoque dictum est, cuius generis hodie quoque trunci quidam visuntur: idque peculiariter lignum sanctum dicebatur, de quo non agitur. Sed & Brasauolus item Ferrariensis, eadem duo genera cognouit, & testatus est, primum genus proprie Guaiacum vocatum esse, cuius est ampla, nigraq; medulla.*

Error quorundam. *Qui ergo ligni genus hoc opinantur nouum esse, toto aberrant cælo, decepti eo, quod mercatores secundum genus (quod nec nomen habere proprium* Petronius *ait) Romam crebrius detulerunt, eiq; adsueti pharmacopolæ quidam, mixtionem magis, quam recognitionem medicamentorum edocti, cum primum degustarunt genus hoc, diuersitatem admirati, & veritatis ignari, lignum sanctum esse negarunt, quasi sanctū sit alterum, cuius frequentiorem vsum cognouerant: cum tamen neutri nomen hoc à primis auctoribus inditum sit, sed vni tertio generi, de quo non differitur. inualuit tamen consuetudo, vt omnia promiscue genera lignum*

gnum ſanctum vocentur, vt ante dixi.

Quod vero quidam ſylueſtre genus hoc eſſe dicant, hoc ſane (niſi ioco dictum ſit) plane ridiculum eſt. Si quidem traditum à nemine ſit, harum arborum genus vllum ſatu, cultuque, non ſponte naſci, nec in ſyluis prouenire: Hac late colles, campique patentes, Hac omnis veſtitur ager, inquit noſter Fracaſtorius, quamquam poetarum licentia poſterius cecinit, Hanc *gens illa colit, ſtudioque educere multo Nititur: ſed qui rerum* Indicarum *hiſtoriam prodiderunt, de huius ligni cultura ne verbum quidem. atque Conſaluus* Ferdinandus *teſtatus eſt, tanta copia in inſula Sancti Dominici prouenire, vt eo intelligatur, ſponte naſci, & abſque cultu: & idcirco ſylueſtre eſſe arboris genus: quamobrem vanum ſit exiſtimare lignum aliud ſylueſtre ſanctum, & aliud ſatiuum eſſe. poſſet dici ſatiuum, quod translatum in aliud cælum ab* Indis *remotũ, ſatuque ortum eſt, cuius ſunt plantæ Romæ nonnullæ, quarum tamen ligna, neque acrimonia, neque amaritudine poſſunt cum eo, quod ex* Indis *affertur, comparari. Sed apud* Indos *genus aliquod eſſe ſatiuum, hoc neque* Conſaluus *dixit, neque alius quiſquam eiuſmodi auctor hiſtoriæ. Omne igitur lignum ſanctum ſylueſtre. quod ſi tandem ſit aliqua ſylueſtris, & ſatiui differentia, illud potius ſylueſtre dicendum eſt, cuius nigrum eſt anguſtius meditullium, quoniam ligni eius ſuperficies ſæpe inæqualis, & tuberoſa reperitur (vt ſolent illæ eſſe arbores, quibus cultura nulla adhibetur)*

Lignum ſanctum omne ſylueſtre.

quam alterius, cuius est amplissimum meditullium, læuisque superficies, & minus inæqualis.

Oleum ex Guaiaco.

Sunt ergo vere duo Guaiaci genera (vel duæ species, si malis ita dicere) alterum quod medulla nigra constat amplissima, alterum, quod eadem constat angustiore. Nec moueat aliquem, quod Fallopius dicat, oleum è ligno sancto copiosius exprimi, quam ex Guaiaco: nam loquebatur de tertio genere, cui peculiare nomen fuit lignum sanctum, ex Insula Sancti Ioannis, non autem de secundo, cuius vsus fuit his annis Romæ frequentior, vt ante dixi: quamobrem si recuset aliquis appellare primum genus lignum sanctum, cogitur is & secundum pariter genus recusare: alioqui compertum est, oleum ex Guaiaco primi generis copia non minore, quam ex altero, educi, & sunt hæc Antonij Galli verba, » Guaiacum vnguinosum, vt à quo accenso resina » profluat. palus vero crematus nullam, aut perexiguam » exudat pinguedinem. Sed quid si ex eodem penitus arboris genere lignum aliud plus, aliud minus olei effundat? eoque efficiatur, vt ex ligno sancto proprie dicto alias plus, alias minus olei, quam ex guaiaco extrahatur; quamobrem auctores, nondum satis re, quippe noua, nec de facie satis, neque tam multis experimentis explorata, & cognita; potuerint de re eadem contrarium vere affirmare, atque adeo opus sit ex alijs, non ex olei copia, vel inopia, de Guaiaci, & ligni sancti natura, & viribus cognoscere, & iudicare.

Cortex cur facile decidat.

Nec moueat etiam, quod illi cortex facile decidat,

nec

nec adeo ligno adhæreat, tamquam non illud sit, quod à Fernelio describitur, à quo laudatum illud est, cuius cortex proxime adhæret: namque Monardes Hispalensis *ait, cum Guaiacum siccatur, corticem facile decidere:* Neque *à Fernelio damnatur lignum, cuius cortex minus adhæret ligno, quasi non idem sit genus, sed ei præfert in eodem genere aliud, cuius cortex adhæret magis: quia signum hoc est ligni non verioris, sed recentioris, itaque & vtilioris. quæ fuit Fallopij quoque admonitio.*

Nec item moueat, quod Vlrichus ab Hutten *scripserit, optimum rimas non facere, quas in priore ligno interdum vidimus: quoniam aliud est, lignum tamquam falsum, & adulterinum damnare, quam in eodem genere eligere, quod est optimum. Accedit Vlrichum non negasse rimas, sed tantum, à se nondum visas, professum esse, inquit enim, vt quam minimum biet, neque enim adhuc vidimus, qui rimas traxisset, & qui vendunt fatiscere negant. hæc ille: sed tempus postea docuit, etiam fatiscere, itaque Fernelius, neque facile videas, quod rimas traxerit. hoc non est simpliciter, & omnino rimas negare. Sed est proditum à Palmario lib. 1. de lue venerea cap. 10. lignum guaiacum sæpe dehiscere, & rimis, ac fissuris diffindi. quod & nos interdum vidimus. itaque rimæ non faciunt generis, siue speciei differentiam.* Rimæ in Guaiaco.

Quod vero sit lignum hoc fabrorum opificijs accommodatum, non est ridendum: quoniam Consaluus idem Guaiacum opificiis accõmodatũ.

testatus est, ex Guaiaco apud Indos rotarum fieri radios, & instrumenta ad saccharum conficiendum. Nec propterea minus ad vsum medicinæ recipi debet: namq; & Ebenus, opificiorum elegantiæ nata, locum habet inter remedia. quod de santalo, & de ligno aloe vocato verum est, ne dicam de margaritis, de hyacintho, zaphiro, carbunculo, & alijs gemmis mulierum maxime ornatui nascentibus, nec minus ad morbos curandos conquisitis.

Vitium ex nauigatione.

Vtrum autem vitium aliquod ex nauigatione contraxerit, de hoc sane dubitare, ad docendum, hoc ligni genus esse, aut non esse lignum sanctum, nihil conducit: cum in eodem prorsus genere, aliud vitio carere, & aliud quoque possit vitiosum esse. Fallopius certe docuit, non posse nos vti lignis huiusmodi recentibus ob longam nauigationem: quamobrem, & rancida fiunt. at hoc non est dictum de aliquo peculiari genere, sed generatim, & vniuerse: quia ob regionum distantiam veterascit prius, quam ad nos comportetur. potest etiam cortex ob tenuitatem vitium contrahere, si tangatur à maris aqua. Lignum vero crassum, & solidum non adeo facile. Illud probabile non est, maiorem inde acrimoniam oriri; quæ tamen horum lignorum laus est præcipua.

Acrimonia in ligno sancto laudata.

Quod vero in decocto damnatur acrimonia, quam ob rem & linguam, & fauces pungit, & vellicat: hoc illud est, quo id altero præstantius, & efficacius censeri debet ad luem veneream debellandam, sed illud animaduer-

maduertere pretium operę est, Antonium Gallum, negaſſe, acrimoniam in ligno ſancto, cum de ligno loqueretur, ex inſula S. Ioannis delato; ſed non de Guaiaco, de quo noſtra eſt diſputatio. ſed non eſt minor de hac re auctorum varietas, quam de oleo, & horum lignorum pinguedine, vt ante dixi. Ioannes Manardus epiſtola illa ſecunda ad Cracouienſem Epiſcopum dicebat, genus tertium, quod nigri nihil habet, ideo præſtantius eſſe, quia eſſet acrius, atque odoratius; cum à Gallo contraria de hoc eodem ligno tradita ſint. habemus tamen ex Manardo. Si, qui lignum hoc damnant, ijdem fatentur eſſe, quam alterum acrius; valentius quoque eſſe, ſi non dicere, ſaltem ſentire, eoſdem cogi. Cumque alterum, quia minus eſt acre, ideo multis placet; hi ſane illud probant, quod eſt infirmius, & aduerſus contumaces ægritudines minus potens, & gratię magis videntur ſtudere, quam ægrotorum incolumitati. quodque acrius eſt, illud poteſt aqua temperari, quod eſt minus acre, non poteſt aquę mixtura maiorem acrimoniam recipere. Sed & Antonius Gallus cap. 4. lib. de morbo gallico, cum potum vellet mitiorem conficere, curabat partem nigram demoueri. Sed non eſt vllus tam rudis medicus, qui ignoret, ex eodem ligni genere, pro varia hominum natura, & morborum, varium fieri poſſe, ac debere Decoctum nuncupatum: hocque præſtari etiam, portione aquæ dempta, vel addita conſueuiſſe. Dotes autem ligni huius eſſe acrimoniam, & amaritudinem, Fallopius diſerte docuit in cap. 41. Decoctũ ligni ſancti vt mitius fiat. Dotes ligni ſancti.

inquiens,

„ *inquiens, Primum si deradatur statim percipiemus duo,*
„ *amarorem quendam, quo explebitur totum os, deinde acredinem insignem, quę stimulat palatum, tertio*
„ *si decoquamus in aqua, primum amarescit in ore, deinde mordicat. & cap. 44. Si decoctum sit turbulentum,*
„ *valde amarum, & acre, bonum est, &c. & huiusmodi decoctum est, quod ex hoc fit ligno, de quo disseritur. quod omnino profiteor esse præstantius, quoniam præter modo dicta, communis auctorum consensus est, illud lignum sanctum præferendum, & tamquam optimum eligendum, cuius pars maxima nigrescit interior. hoc ait etiam Massa scribens de morbo gallico tract. 1. c. 2. ait Vlricus ab Hutten cap. 6. Aloisius Robera cap. 4. Antonius Gallus in præfatione de ligno sancto.* Ioannes *Baptista Montanus epistola quinta. Benedictus Victorius cap. 4. Fernelius lib. de lue venerea cap. 10. & cum eo Palmarius loco dicto. & Fallopius. cap. 44. item Monardus, Rinius, Frizimelica,* Tomitanus. & *Matthæolus in opusculo de morbo gallico testatus est,* Medicis *videri valentius, id, quod in superficie santalorum citrinorum colorem, medio nigrescente, refert. Ac si quando idem Matthęolus nigrum minus æstimauit, hoc ideo fecit, quoniam sibi finxerat, ligni huius genus vnum esse, differre sola ætate: atque ideo nigrum vetustius, & efficax minus. Sed iam constat, Guaiacum esse nigrum natura, non ętate, superiusq; dicta est ratio.*

Lignũ sanctum optimum ex cõsensu auctorum.

Dub. de acrimoniæ vehemẽtia.

Sed non omittam, quod posset studiosus suspectam habere acrimoniæ vehementiam, quoniam Petronius,

lib.

lib. 4. cap. 1. & 3. modicam tribuit tum Guaiaco, tum ligno sancto acrimoniam: itaque scire licet, si horum comparemus lignorum amaritudinem fellis, & aloes amaritudini, hanc non esse magnam, sed mediocrem: si item eorumdem acrimoniam cum scillæ acrimonia contulerimus, horum esse modicam: si vero eadem ipsa ligna inter se conferantur, alterius tum amaritudinem tum acrimoniam posse magnam, alterius vero modicam videri, & iure appellari.

Nec illud præteribo. necessario accipiendum esse, hæc ligni genera differre inter se plurimum, aut solo, aut ætate, aut, fortasse, cædendi tempore, aut post incisionem longo, vel breui temporis curriculo: eoque euenisse, vt de eodem genere varia interdum fuerit auctorum sententia: nam quod pallet intus, & extra, Petronius *illud amarius, atque acrius cæteris prodidit, quod & ante Manardus scripserat. quod vero nigri plurimum, albi vero coloris minimum habet, illud omnium minime esse tum acre, tum amarum. At nos hac tempestate obseruauimus sæpius, quod plus habet nigredinis, illud esse longe acrius, sed minus amarum, quam alterum, cuius est minor internus orbis niger, quod pollet amaritudine sine vlla acrimonia: ne dicam, quod Romæ satum est, omni tum acrimonia, tum amaritudine carere. quamobrem si quis de altero genere dubitet ob acrimoniæ vehementiam, is & de altero dubitare debet, quia caret eadem, qua præditum esse auctores volunt, atque si vera Consaluus prodidit de ligni sancti præstantia,* Cur varia de eodem ligno dicta.

uarum, reuocata esset. De qua re, postquam in publico congressu diuersorum opiniones explorata sunt, & audita, necessarium quoque visum est (quod facile quiuis consiteretur) ea litteris tradere, quæ veritatem patefecerent, atque illustrarent.

Dubitatum est igitur de huius ligni tum genere, tum salubri facultate: propterea quod lignum sanctum verum non videatur: Sed (vt quibusdam persuasum est) nouum sit ligni genus, nunc primum Romam *delatum, & illud syluestre, ac fabrorum potius opificijs, quam medicinę idoneum. quod minus pingue sit, vt pote ex quo oleum extrahatur minore copia, quam ex ligno ipso sancto. quod ei cortex non adhæreat vehementer, sed facile decidat. quod rimis nonnullis dehiscat. quod ex nauigatione vitium aliquod contraxerit. quod ex eo decoctum (vt vocant) conficitur acrius multo, quam ex alio quodam genere, quod solum vere lignum sanctum, & guaiacum à nonnullis creditur. quod demum obseruatum sit illis, qui huius decocto vsi sunt, nocuisse. Verum, vt intelligatur, quale sit hoc ligni genus, de ligni sancti nominibus, & differentijs ne*-
Nominum confusio. *cesse est nonnulla ex auctoribus repetere. Atque illud in primis ex* Fallopio, *qui libro de morbo gallico cap.*
,, *39. inquit, habemus igitur guaiacum, & lignum san*-
,, *ctum, quamuis in consultationibus sumamus has arbores indifferenter: quibus verbis significauit, illud, quod vere guaiacum est, ex descriptione Consalui Ferdinandi, vocari consueuisse lignum sanctum. Quæ fuit*

no-

nominum confusio Brasauodi quoque tempestate, qui libro de morbo gallico, disserens de guaiaco, inquit, vocatur & lignum sanctum, & palum sanctum, & lignum crucis. haec ille. Cumque iam diu proditum sit, lignum, quod ex insula Sancti Dominici ferebatur, dictum esse guaiacum; & quod ex insula Sancti Ioannis dictum esse lignum sanctum, tamen Alphonsus Ferrus scribens de morbo gallico, & ligno sancto, duo haec, & tertium, quod ex insula sanctae crucis vehebatur, vocauit promiscue lignum sanctum. itaque de nomine certandum non est, statuendumq; ligni sancti nomine guaiacum etiam significari.

Sunt igitur duo iam ligni genera, hoc nomine alterum, cuius fuit Romae postremis hisce temporibus vsus admodum vulgaris, & frequens, meditulliumq; habet nigrum quidem, aut nigrescens ex rufo, sed orbe non magno, nam lato valde circundatur albente circulo (vocamus autem nigrum, licet aliquando color videatur medius nigrum inter & rubrum, & leonatum appellant) alterum vero, cuius non fuit his eisdem temporibus frequens adeo, & vulgaris vsus: cuius nigrescens meditullium tantum est, vt albens circulus vix aequet digiti crassitudinem. estque in hoc genere varietas aliqua, nam alterum habet medullam altero nigriorem. Sed est genus tertium ab his diuersum, quod nigri quidem habet plurimum, sed partem albam distinctam habet nigris intercurrentibus latis maculis, fere quadrangularibus, quibus externus ille circulus Ligni sancti differentia.

ex albo, & nigro distinctus, coronæ cuiusdam speciem exhibet, cuius decoctum amarum quidem, sed absque acritudine percipitur: videtur denique genus quartum esse, quod rursum est fere vniuersum, cortice excepto, quodque in eius medio nigri aliquid apparet: cuius decoctum est sine acrimonia modice amarum, de quo Brasauola locutus est, vt paullo post visuri sumus.

Sed neque de hoc, neque de tertio genere controuersia erat, deque neutro locuti sunt, qui secus opinantur. Sed quæsitum est de secundo genere, ac primo: Vtrum sit vnum ligni genus, an duo, quorum alterum sit lignum sanctum, alterum minime: hoc igitur explicandum est, quo etiam vtrum sit præstantius, & efficacius intelligatur.

Lignũ propositũ vtrũ sit lignum sanctum.

Constat igitur primum, neutrum horum esse genus illud tertium, quod Fallopius negabat reperiri eius tempestate, quoniam illud erat sine vlla nigredine, & substantia constabat tota, vt ille inquit, flaua: cuius tamen generis aliquid Romæ videmus à pharmacopolis exponi, cuius aliud pene nihil habet nigri, aliud minimum. quod non est positum in controuersia. Nec est hoc, *de quo disseritur, quartum illud à Brasauola descriptum, cuius meditullium fere totum erat rubrum, de quo nihil aliud docere potuit, nisi id, quod pharmacopola quidam Venetijs dicebat, lignum esse* Indicum, *& saluberrimum, cum alioqui Brasauolus eo numquam se visum professus sit: nisi decepti sint, quod pro diuerso genere*

nere acceperint, illud, cuius meditullium interdum, (vt dictum est) ex nigro vergit ad rubrum, cum vnum sit, atque adeo quartum hoc esset alterum ex dictis: quod est valde probabile, cum facile sit in re noua, & paucis bene cognita, labi, & decipi.

Sed neq; sunt duo illa ligna ex vna & eadem arbore, vt alias quidam existimarunt, qui sibi persuaserunt, nigriora ligna ex trunco cæsa, minus nigra ex ramis: Non ita res habet, nam, si non conniuentibus oculis rem exploremus, facies eadem in maioribus lignis, atque in minoribus apparet, cuius scilicet arboris truncus habet exiguam nigredinem, eiusdem & rami habent exiguam, & cuius truncus amplam habet nigredinem, eiusdem; & rami amplam habere reperiuntur. ergo non est arbor vna, sed duas esse necessarium est.

Si quæratur, ex his vtrum sit Guaiacum nuncupandum, dicam, vel vtrumque, vel id, quod orbem internum nigrum habet amplissimum, & albente angusto circulo vestitur: namque huic illa congruunt adamussim, quæ de Guaiaco auctores, huius rei studiosi, iamdiu antea prodiderunt. vtrumque Guaiacum dici posse, Manardi Ferrariensis auctoritate comprobari potest, qui, in epistola ad Cracouiensem Episcopum, vtrumque descripsit: cumque tertium dicat vocari proprie lignum Sanctum, & primum vocet guaiacum: de secundi nomine nihil dicat; si tertium proprie lignum sanctum dicitur, reliquum est, vt secundum quoque Guaiacum dicatur. Quod si cui hæc argumentatio minus Nomen Guiacum cui conueniat.

nus

nus arrideat, saltem Manardus docuit, primum genus, cuius pars interior nigra magna est, exterior autem alba modica, Guaiacum esse, atque adeo lignum hoc, cuius est vsus Romæ minus hodie frequens, ipsissimum Guaiacum esse, intelligitur. quodque descriptum est à Monarde *Hispalensi medico (cui multum hac præsertim in re tribuendum est) hoc ipsum est, aut nullum; cum dicat, Guaiacum habere matricem magnam, & nigricantem: cum alterum, cuius est vsus hodie frequentior, matricem, vocatam, nigricantem habeat exiguam: quod tamen non negauerim esse ex* Guaiaci *genere, sed equidem dixerim, esse aliud ab eo, quod est à Monarde descriptum, ad cuius manus, par est, tantum illud peruenisse, quod ipse descripsit, qui cum faciat illius quoque mentionem, quod ex insula Sancti* Ioan*nis de portudiuite affertur; quod ait esse priori quidem simile, sed inferius magnitudine, & propemodum sine matrice; hoc non primum est, vt ille ait, nec secundum potest esse: nam secundum quoque matricem habet nigrescentem, & eam satis magnam, etsi minorem ea, quæ in priore ligno est amplissima: & præterea non est arbor priore inferior celsitudine: vidimus enim Romæ, atque nunc exstant, crassissima ex eo trunco ligna, quæ excelsam non minus priore arborem hanc esse demonstrant.* I*taque necesse est, statuere, secundum hoc genus fuiße Monardo incognitum.* Consaluus Ferdinan*dus, qui naturalem* I*ndiarum historiam primus scripsit, & primus orbi nostro lignorum huiusmodi figuram ver*

bis

bis exhibuit; cum dicat, Guaiacum non solum nasci in insula Sancti Dominici, Sed celebre quoque illud esse, magnique æstimatum, quod ex insula beata vehebatur, & Indos alios, atque alios, Guaiacum aliud, atque aliud, vt illis videtur, seligere, dicatque Guaiacum habere materiam propemodum nigram; nec de amplitudine eius, vel angustia, quicquam scribat: locum relinquit nobis in relligendi, Guaiaci nonnullam esse varietatem, præsertim ex soli varietate, quamobrem aliud matricem illam nigram habeat alio vel ampliorem, vel angustiorem. itaque relicto tertio ligno; quod in insula Sancti Ioannis nascitur, cui peculiariter fuit nomen lignum sanctum: duo dicimus esse Guaiaci genera in Vrbe, illaque in primis mutuo diffidentia matricis nigrescentis amplitudine. Quorum illud, quod matricem habet amplissimam, non est nuper in Vrbem delatum, sed multos iam ante annos. quod aromatarij testantur multi, præsertim seniores, & mercatores: & affirmatum est (quod maioris ponderis testimonium est) ab homine Romano, medicoque clarissimo; qui cum summa laude, & admiratione annos fere quinquaginta exercuit in ipsa Vrbe medicinam; Alexandro Petronio, scribente de morbo gallico iam ante annos triginta sex: is enim libri quarti capite primo, caute admodum hæc lignorum genera describens, quæ in Vrbem ad illud vsque tempus delata, testatur, primum ait genus vocari Guaiacum, cuius interior pars nigricat, exterior sub pallida, & veluti lineis quibusdam ad fuscum

Lignum de quo agitur non est nouũ in Vrbe.

incli-

inclinantibus, ac æque distántibus per longum interse-ꝸa. alterum vero peculiari nomine carere, cuius pars exterior magis ad album vergit, neque est tam manifestis lineis distincta, interior vero nigrum quidem colorem ostendit, sed minori orbe, quam prius. Ergo li-*gnum hoc aliorum nigerrimum* Roma *non iam primum, sed diu ante vidit, & experta est. Sed non* Roma *solum verum & reliqua* Italia *: namque Manardus Ferrariensis loco ante dicto duo hæc eadem ligni genera describit, quemadmodum & tertium, quod totum est album, vt à Petronio quoque dictum est, cuius generis hodie quoque trunci quidam visuntur: idque peculiariter lignum sanctum dicebatur, de quo non agitur. Sed & Brasauolus item Ferrariensis, eadem duo genera cognouit, & testatus est, primum genus proprie Guaiacum vocatum esse, cuius est ampla, nigraq; medulla.*

Error quorundam. *Qui ergo ligni genus hoc opinantur nouum esse, toto aberrant cælo, decepti eo, quod mercatores secundum genus (quod nec nomen habere proprium* Petronius *ait) Romam crebrius detulerunt, eiq; adsueti pharmacopolæ quidam, mixtionem magis, quam recognitionem medicamentorum edocti, cum primum degustarunt genus hoc, diuersitatem admirati, & veritatis ignari, lignum sanctum esse negarunt, quasi sanctũ sit alterum, cuius frequentiorem vsum cognouerant: cum tamen neutri nomen hoc à primis auctoribus inditum sit, sed vni tertio generi, de quo non disseritur. inualuit tamen consuetudo, vt omnia promiscue genera lignum*

gnum sanctum vocentur, ut ante dixi.

Quod vero quidam syluestre genus hoc esse dicant, hoc sane (nisi ioco dictum sit) plane ridiculum est. Si quidem traditum à nemine sit, harum arborum genus ullum satu, cultuque, non sponte nasci, nec in syluis prouenire: Hac late colles, campique patentes, Hac omnis vestitur ager, inquit noster Fracastorius, quamquam poetarum licentia posterius cecinit, Hanc gens illa colit, studioque educere multo Nititur: sed qui rerum Indicarum historiam prodiderunt, de huius ligni cultura ne verbum quidem. atque Consaluus Ferdinandus testatus est, tanta copia in insula Sancti Dominici prouenire, ut eo intelligatur, sponte nasci, & absque cultu: & idcirco syluestre esse arboris genus: quamobrem vanum sit existimare lignum aliud syluestre sanctum, & aliud satiuum eße. posset dici satiuum, quod translatum in aliud cælum ab Indis remotū, satuque ortum est, cuius sunt plantæ Romæ nonnullæ, quarum tamen ligna, neque acrimonia, neque amaritudine possunt cum eo, quod ex Indis affertur, comparari. Sed apud Indos genus aliquod esse satiuum, hoc neque Consaluus dixit, neque alius quisquam eiusmodi auctor historiæ. Omne igitur lignum sanctum syluestre. quod si tandem sit aliqua syluestris, & satiui differentia, illud potius syluestre dicendum est, cuius nigrum est angustius meditullium, quoniam ligni eius superficies sæpe inæqualis, & tuberosa reperitur (vt solent illæ esse arbores, quibus cultura nulla adhibetur) quam

Lignum sanctum omne syluestre.

quam alterius, cuius est amplissimum meditullium, leuisque superficies, & minus inaequalis.

Sunt ergo vere duo Guaiaci genera (vel duae species, si malis ita dicere) alterum quod medulla nigra constat amplissima, alterum, quod eadem constat angustiore.

Oleum ex Guaiaco.

Nec moueat aliquem, quod Fallopius dicat, oleum è ligno sancto copiosius exprimi, quam ex Guaiaco: nam loquebatur de tertio genere, cui peculiare nomen fuit lignum sanctum, ex Insula Sancti Ioannis, non autem de secundo, cuius vsus fuit his annis Romae frequentior, vt ante dixi: quamobrem si recuset aliquis appellare primum genus lignum sanctum, cogitur is & secundum pariter genus recusare: alioqui compertum est, oleum ex Guaiaco primi generis copia non minore, quam ex altero, educi, & sunt haec Antonij Galli verba, Guaiacum vnguinosum, vt à quo accenso resina profluat. palus vero crematus nullam, aut perexiguam exudat pinguedinem. Sed quid si ex eodem penitus arboris genere lignum aliud plus, aliud minus olei effundat? eoque efficiatur, vt ex ligno sancto proprie dicto alias plus, alias minus olei, quam ex guaiaco extrahatur; quamobrem auctores, nondum satis re: quippe noua, nec de facie satis, neque tam multis experimentis explorata, & cognita; potuerint de re eadem contrarium vere affirmare, atque adeo opus sit ex alijs, non ex olei copia, vel inopia, de Guaiaci, & ligni sancti natura, & viribus cognoscere, & iudicare.

Cortex cur facile decidat.

Nec moueat etiam, quod illi cortex facile decidat, nec

nec adeo ligno adhæreat, tamquam non illud sit, quod à Fernelio describitur, à quo laudatum illud est, cuius cortex proxime adhæret: namque Monardes Hispalensis *ait, cum Guaiacum siccatur, corticem facile decidere:* Neque *à Fernelio damnatur lignum, cuius cortex minus adhæret ligno, quasi non idem sit genus, sed ei præfert in eodem genere aliud, cuius cortex adhæret magis: quia signum hoc est ligni non verioris, sed recentioris, itaque & vtilioris. quæ fuit Fallopij quoque admonitio.*

Nec item moueat, quod Vlrichus ab Hutten *scripserit, optimum rimas non facere, quas in priore ligno interdum vidimus: quoniam aliud est, lignum tamquam falsum, & adulterinum damnare, quam in eodem genere eligere, quod est optimum. Accedit Vlrichum non negasse rimas, sed tantum, à se nondum visas, professum esse, inquit enim, vt quam minimum biet, neque enim adhuc vidimus, qui rimas traxisset, & qui vendunt fatiscere negant. hæc ille: sed tempus postea docuit, etiam fatiscere, itaque Fernelius, neque facile videas, quod rimas traxerit. hoc non est simpliciter, & omnino rimas negare. Sed est proditum à Palmario lib. 1. de lue venerea cap. 10. lignum guaiacum sæpe dehiscere, & rimis, ac fissuris diffindi. quod & nos interdum vidimus. itaque rimæ non faciunt generis siue speciei differentiam.* Rimæ in Guaiaco.

Quod vero sit lignum hoc fabrorum opificijs accommodatum, non est ridendum: quoniam Consaluus idem Guaiacum opificiis ac cõmodatũ.

testatus est, ex Guaiaco apud Indos rotarum fieri radios, & instrumenta ad saccharum conficiendum. Nec propterea minus ad vsum medicinæ recipi debet: namque & Ebenus, opificiorum elegantiæ nata, locum habet inter remedia. quod de santalo, & de ligno aloe vocato verum est, ne dicam de margaritis, de hyacintho, zaphiro, carbunculo, & alijs gemmis mulierum maxime ornatui nascentibus, nec minus ad morbos curandos conquisitis.

Vitium ex nauigatione. *Vtrum autem vitium aliquod ex nauigatione contraxerit, de hoc sane dubitare, ad docendum, hoc ligni genus esse, aut non esse lignum sanctum, nihil conducit: cum in eodem prorsus genere, aliud vitio carere, & aliud quoque possit vitiosum esse, Fallopius certe docuit, non posse nos vti lignis huiusmodi recentibus ob longam nauigationem: quamobrem, & rancida fiunt. at hoc non est dictum de aliquo peculiari genere, sed generatim, & vniuerse: quia ob regionum distantiam veterascit prius, quam ad nos comportetur. potest etiam cortex ob tenuitatem vitium contrahere, si tangatur à maris aqua. Lignum vero crassum, & solidum non adeo facile. Illud probabile non est, maiorem inde acrimoniam oriri, quæ tamen horum lignorum laus est præcipua.*

Acrimonia in ligno sancto laudata. *Quod vero in decocto damnatur acrimonia, quamobrem & linguam, & fauces pungit, & vellicat: hoc illud est, quo id altero præstantius, & efficacius censeri debet ad luem veneream debellandam, sed illud animaduer-*

maduertere pretium operę est, Antonium Gallum, negaſſe, acrimoniam in ligno ſancto, cum de ligno loqueretur, ex inſula S. Ioannis *delato; ſed non de Guaiaco, de quo noſtra eſt diſputatio. ſed non eſt minor de hac re auctorum varietas, quam de oleo, & horum lignorum pinguedine, vt ante dixi.* Ioannes *Manardus epiſtola illa ſecunda ad* Cracouienſem Epiſcopum *dicebat, genus tertium, quod nigri nihil habet, ideo praeſtantius eſſe, quia eſſet acrius, atque odoratius; cum à Gallo contraria de hoc eodem ligno tradita ſint. habemus tamen ex Manardo. Si, qui lignum hoc damnant, ijdem fatentur eſſe, quam alterum acrius; valentius quoque eſſe, ſi non dicere, ſaltem ſentire, eoſdem cogi. Cumque alterum, quia minus eſt acre, ideo multis placet; hi ſane illud probant, quod eſt infirmius, & aduerſus contumaces ægritudines minus potens, & gratię magis videntur ſtudere, quam ægrotorum incolumitati. quodque acrius eſt, illud poteſt aqua temperari, quód eſt minus acre, non poteſt aquę mixtura maiorem acrimoniam recipere. Sed & Antonius Gallus cap. 4. lib. de morbo gallico, cum potum vellet mitiorem conficere, curabat partem nigram demoueri. Sed non eſt vllus tam rudis medicus, qui ignoret, ex eodem ligni genere, pro varia hominum natura, & morborum, varium fieri poſſe, ac debere Decoctum nuncupatum: hocque præſtari etiam, portione aquæ dempta, vel addita conſueuiſſe. Dotes autem ligni huius eſſe acrimoniam, & amaritudinem, Fallopius diſerte docuit in cap. 41.*

Decoctũ ligni ſancti vt mitius fiat.

Dotes ligni ſancti.

inquiens,

„ inquiens, Primum si deradatur statim percipiemus duo, „ amarorem quendam, quo explebitur totum os, dein- „ de acredinem insignem, quę stimulat palatum, tertio „ si decoquamus in aqua, primum amarescit in ore, dein- „ de mordicat. & cap. 44. Si decoctum sit turbulentum, „ valde amarum, & acre, bonum est, &c. & huiusmodi decoctum est, quod ex hoc fit ligno, de quo differitur. quod omnino profiteor esse præstantius, quoniam præter modo dicta, communis auctorum consensus est, illud lignum sanctum præferendum, & tamquam optimum eligendum, cuius pars maxima nigrescit interior. hoc ait etiam Massa scribens de morbo gallico tract. 1.c.2. ait Vlricus ab Hutten cap. 6. Aloisius Robera cap. 4. Antonius Gallus in præfatione de ligno sancto. Ioannes Baptista Montanus epistola quinta. Benedictus Victorius cap. 4. Fernelius lib. de lue venerea cap. 10. & cum eo Palmarius loco dicto. & Fallopius. cap. 44. item Monardus, Rinius, Frizimelica, Tomitanus. & Matthæolus in opusculo de morbo gallico testatus est, Medicis videri valentius, id, quod in superficie santalorum citrinorum colorem, medio nigrescente, refert. Ac si quando idem Matthęolus nigrum minus æstimauit, hoc ideo fecit, quoniam sibi finxerat, ligni huius genus vnum esse, differre sola ætate: atque ideo nigrum vetustius, & efficax minus. Sed iam constat, Guaiacum esse nigrum natura, non ętate, superiusq; dicta est ratio.

Lignũ sanctum optimum ex cõsensu auctorum.

Sed non omittam, quod posset studiosus suspectam habere acrimoniæ vehementiam, quoniam Petronius

Dub. de acrimoniæ vehemẽtia.

lib.

lib. 4. cap. 1. & 3. modicam tribuit tum Guaiaco, tum ligno sancto acrimoniam: itaque scire licet, si horum comparemus lignorum amaritudinem fellis, & aloes amaritudini, hanc non esse magnam, sed mediocrem: si item eorumdem acrimoniam cum scillæ acrimonia contulerimus, horum esse modicam: si vero eadem ipsa ligna inter se conferantur, alterius tum amaritudinem tum acrimoniam posse magnam, alterius vero modicam videri, & iure appellari.

Nec illud præteribo: necessario accipiendum esse, hæc ligni genera differre inter se plurimum, aut solo, aut ætate, aut, fortasse, cædendi tempore, aut post incisionem longo, vel breui temporis curriculo: eoque euenisse, vt de eodem genere varia interdum fuerit auctorum sententia: nam quod pallet intus, & extra, Petronius *illud amarius, atque acrius cæteris prodidit, quod & ante Manardus scripserat. quod vero nigri plurimum, albi vero coloris minimum habet, illud omnium minime esse tum acre, tum amarum. At nos hac tempestate obseruauimus sæpius, quod plus habet nigredinis, illud esse longe acrius, sed minus amarum, quam alterum, cuius est minor internus orbis niger, quod pollet amaritudine sine vlla acrimonia: ne dicam, quod Romæ satum est, omni tum acrimonia, tum amaritudine carere. quamobrem si quis de altero genere dubitet ob acrimoniæ vehementiam, is & de altero dubitare debet, quia caret eadem, qua præditum esse auctores volunt, atque si vera Consaluus prodidit de ligni sancti præstantia,* Cur varia de eodem ligno dicta.

tia,

tia, & viribus, quibus superare Guaiacum testatus est, non eo tamen efficitur, lignum, de quo disseritur, Guaiacum non esse.

Experimenta.

N*ec demum moueat quemquam, quod dictum sit, lignum hoc, de quo dubium exortum est; nonnullis obfuisse: quia nihil est tam salutare, quod interdum non obsit, si importune exhibeatur, atque adeo modus est castigandus, non autem remedium damnandum: alias (vt omittamus ea, quæ hactenus Romæ visa sunt, quæ infinita sunt) Brasauolus primo genere, quod Guaiacum proprie diximus, & nigrius esse, ait, se frequentissime vsum esse, raro autem altero, quod lignum sanctum peculiariter vocabatur, numquam autem tertio illo, quod rubrum esse scripserat. At vir ille bonus non esset vsus creberrime auxilio periculoso, & cuius vanos successus expertus esset. nec alia de caussa tot alij magni nominis auctores lignum hoc, quod & habet medullam plurimam, & acrius est, alteri prætulerunt, quam quod multis sibi compertum erat experimentis.*

Nec trepidare debet aliquis, quod Consaluus de ligni sancti proprie dicti viribus secus scripserit; quia quod est Ind*is saluberrimũ, potest esse minus salubre in in hoc cælo ab* I*ndis valde remoto: potestque lignum sanctum, cum cæsum est, diutina mora vires suas celerius, quam Guaiacum amittere. Sed nec ignoramus in obseruandis rebus, & euentis, quam multa occurrant, quæ doceant, vere proditum à viro maximo, experimentum fallax.*

Ergo

Ergo non est unum Guaiaci, siue ligni Sancti genus, sed plura; duo autem vulgatiora, quorum illud est præstantius, quod medullæ nigrescentis plurimum habet, & modice albente circulo circundatum est: atque non sine amarore, pollet magis acrimonia, nullo pacto damnandum, & reijciendum, immo maxime optandum, ac hortandi mercatores, vt huius, quam alterius, copiam non minorem importent, sinantque tum ipsi, tum pharmacopolæ, vt medici pro illorum peritia, & prudentia, pro ægrorum, inquam, & morbi natura rerum quarumcumque salubrium delectum habeant. Conclusio.

MARSILII CAGNATI DE LIGNO SANCTO ALTERA DISPVTATIO.



TSI videri potest de ligno sancto priori disputatione satis dictum in eum finem, cuius gratia suscepta est à nobis hæc disputatio, tamen supersunt nonnulla, quæ rei, de qua agitur, studiosos latere minime debent.

Disputationis causa. *Scire igitur licet, ortam esse anno elapso 1601. inter duos Vrbis mercatores litem, propterea quod alter ligni sancti, eiusque vsitati, magnum satis pondus alteri vendiderat, qui admonitus; non esse illud lignum sanctum vsitatum, sed syluestre quoddam ligni genus, & illud quidem tamquam insalubre damnandum, & reijciendum; recusauit dicti ligni pretium, quod, scripto etiam cauens, fuerat pollicitus, venditori soluere: quamobrem orta lis est: cuius dirimendę caussa peritorum consilio petito, ad medicorum collegium res delata est, quod, re diligenter pensata respondit, lignum propositum*

positum ligni sancti speciem esse, & ad morbi gallici curationem, vt alia etiam ligni quædam genera, recipi posse. eoque nomine venditoris caussa superior euasit. Sed eo minime contentus emptor, appellauit, quamobrem commissa res est Cameræ Apostolicæ præsidi, qui medicis extra Collegium celebrioribus, & aromatarijs multis conuocatis, & singulorum sententijs exquisitis, intellexit venditoris caussam meliorem esse, vno vel altero excepto aromatario, qui emptori fauebat. emptor vero præsentiens caussam hic quoque suam inferiorem reddi, ante quam præses sententiam ferret, nouis oblatis summo Pontifici libellis obtinuit, vt denuo à peritis viris de re eadem ageretur. Itaque nomine Sanctissimi ego, qui Protomedici munere fungerer (cum acta sint priora Odoardo Lopio eundem magistratum gerente) Collegium conuocaui nostrum, & extra Collegium medicos, quot quot adesse vellent, inuitaui, & aromatarios, & alios, qui ligni sancti, pro eorum professione, notitiam aliquam habere poterant, quibus omnibus, & singulis datus est dicendi locus, & auditi quicumque aliquid dicere voluerunt: illis vero tandem dimissis, Collegium denuo pronuntiauit, & notario mandauit, vt quod actum erat, hunc in modum describeret.

Facta congregatione in gymnasio Romano, ad quam conuenerunt perillustris, & excellentissimus Dominus Iacobus Bonauentura physicus Secretus S. D. N. Collegium medicorum, atque medici multi extra Collegium, Consules aromatariorum, vna cum pluribus Decretum Collegij.

alijs aromatarijs, atque vnus saltem drogherius, ac quidam ex stupharolis vocatis, qui sunt experimentatores ligni sancti, fuit proposita quæstio.

An lignum, quod dicitur Corradi, *sit reale lignum sanctum, ad medicinam adhibendum, nec ne? Auditis igitur sigillatim supradictis omnibus, eorumque rationibus examinatis: insuper visis, & recognitis truncis tam ligni sancti Corradi, quam alterius hactenus vsitatis, decoctisque cuiuscumque ligni varijs, ac oleis diligenter examinatis, cum medici omnes extra collegium, & aromatarij pro maiori parte, ac præsertim horum seniores, & peritiores: accedente omnium prædictorum simili consensu, excepto drogherio: amplexi essent partem affirmatiuam, Collegium predictum (annuente eodem perillustri, & excellentissimo domino* Iacobo *S. D. N. medico secreto) decreuit, lignum Corradi, de quo disputatum est, esse idem lignum sanctum, quod vulgus ita solet vocare lignum sanctum: atque debere ad vsum medicinæ recipi, aduersus eos morbos, quibus lignum sanctum adhiberi solet, nisi quatenus aliquid eius aquæ marinæ contactu vitium contraxerit, quæ medicorum cura debet esse, vt, cum exhibendum est, id, quod vitio caret, eligatur.*

Hæc igitur hunc in modum acta sunt, non in angulis, non in tenebris, sed in hominum luce, publico, & per quam celebri loco.

Lignum de quo differitur quodnam sit.

Scire insuper licet, lignum dictum Corradi *(quod nomen est illius mercatoris, qui lignum vendiderat, de* quo

quo lis est orta) esse illud, quod (vt in priori disputatione dictum est) medullam habet nigram plurimam, circulo angusto albente circundatam, cuius nomen proprium, ex traditis ab Hispano, primo historiæ horum lignorum auctore, esset Guaiacam, si quidem ligni sancti appellatio tamquam propria indita est alteri, quod nasci prodiderunt in insula S. Ioannis portus diuitis, cuius angustior est niger orbis ligni medium occupans instar medullæ. Verum (vt ante quoque dictum est) vulgus vtrumque, & omne aliud simile, lignum sanctum promiscue appellat: qua & nos vtimur appellatione, quia (vt est vetus, & peruulgatum dictum) loquendum, vt plures.

Cum autem sit euidens quædam lignorum differentia, in priore disputatione exposita, non erit accusandus qui dicat plura esse huius ligni genera, quoniam probatissimi quoque auctores in vsu vocabuli huius, Genus, sæpe normam spreuerunt dialecticam, cum enim sit vnum genus, vel rectius vna species animalis homo, tamen dici solet hoc & illud hominum genus, certe M. Cicero scriptum reliquit, rem eandem sæpe alij genus, alij partem esse, sic enim homo animalis pars est, Vrbani, & Troiani genus: & alibi dixit de Antonio duo genera lenonum, & latronnm delectarunt: est (inquam) vnum hominum genus, tamen dicuntur homines quoque genere differre, vt scilicet differunt vel sexu, vel ætate, vel natione, vel officijs, & huiusmodi. immo ipse Arist. lib. 6. de histor. animal. aitcanum Ligni sancti plura genera.

esse

esse plura genera, πλείω γένη, tamen canis pars est, siue species animalis. Quercus est plantæ, & arboris pars, siue species, tamen Theophrastus lib. 2. de plantis dixit, huius genera alijs quatuor esse, alijs quinque. γένη μὲν οὖν οἱ μὲν τέτταρα ποιοῦσιν οἱ δὲ πέντε. quibus similia sunt admodum multa. Longe vero minus arguendus, qui plures esse huius ligni species affirmet, quando inter illa sit talis varietas, atque similitudo, qualem inter plantas alias multas haud dubie esse obseruatum est, & est in confesso apud omnes. quanta est inter vites dissimilitudo? tamen non negamus esse generis eiusdem species, nec dicimus vnam esse veram vitem, alias vero adulterinas, falsasque esse. quid de prunis dicam, de malis, piris, ficubus? quanta varietas, quanta dissimilitudo? idem tamen est nomen, & generis eiusdem parteis esse nemo diffitetur. Quis ergo Zaleucus, aut Charondas legem fixit, vnum esse tantum ligni sancti genus, aut speciem vnam, falsas esse præter hanc vnam reliquas? Consaluus in insula S. Dominici vocatum Guaiacum vidit, & descripsit, deinde in insula S. Ioannis similem huic arborem, non sine aliqua tamen differentia; quamobrem & aliud nomen inditum; nec ausus affirmare eamdem esse speciem, sed inquit, Dos arboles ay mas notables, non ait vnam arborem, sed duas, non numero differentes, quia sunt numero infinitæ, sed specie, quamquam testatur, multos opinatos ambas ex eadem esse specie, siue genere. sane si nulla inter illas dissimilitudo extitisset, dubitatum non fuisset,

esset

esset ne eadem, an alia arboris species: operis ille differentiam scripsit, quod altera esset in curandis morbis efficacior. cæteris ligni facies etiam diuersa, quia nigrius alterius meditullium, non ætate, sed genere, & natura, vt in priore disputatione dictum est. alij saporis quoque, & odoris diuersitatem adnotarunt. sed quæ maior, quam inter rosas differentia? rosas tamen esse dicimus. frustra itaque certatur, sit ne vnum tantum, an plura ligni sancti, siue Guaiaci genera. & recte statutum est, plura esse. genus, inquam, vnum, plures species, & ex his vnam illam esse, de qua lis orta dicitur.

Sed non miror, nec mirari quisquam debet, litem hãc ortam esse, ante annos quinquaginta Augerius Ferrerius libro primo de pudẽdagra, cum tria genera ligni Indici ex Manardo retulisset, hæc subiunxit de suo, Si ,, tu officinas, & mercatores adieris, tam confusas in- ,, uenies apud eos has differentias, vt quid sit lignum san- ,, ctum, quid Guaiacum, monstrantibus illis, discernere ,, nequeas: primum enim genus plerique pro ligno sancto ,, (Manardus scilicet Guaiacum hoc vocabat) & ter- ,, tium pro Guaiaco (Manardus lignum sanctum voca- ,, ri dixerat) ostendunt; in quem errorem etiam incidis- ,, se constat scriptores quamplurimos. sunt enim qui, quod ,, ipsi lignum sanctum vocant, fuscum, & flauum eligen- ,, dum censent: quos colores primo, & secundo generi at- ,, tribuit Manardus. Sunt qui Guaiacum albicans de- ,, scribunt, & cæteris præferunt. Sed posthabita nomen ,,

Appellationum ligni sancti confusio.

datu-

„ *claturarum ambiguitate, de rebus ipsis sic statue-*
„ *mus, Tria illa genera pudendagræ conuenire; præ-*
„ *stare acrius, & odoratius:* Minus acre, *& minus odo-*
„ *ratum, minus calefacere, nec adeo siccare. Præstan-*
„ *tius illud calidis, siccisque temperaturis minus conue-*
„ *nire, cæteris magis prodesse.* Hæc *ille sane probabiliter, & quod ait de confusis nomen claturis est omnino verū. Et sunt duo hic animaduertenda alterum non vni standum* Consaluo, *qui primus ligni huius historiam orbi nostro communicauit, quia nondum noui orbis prouinciç erant perlustratæ omnes, quæ nec hodie sunt, itaque nec omnis medica materia, quç apud* Indos *exstat, primis auctoribus satis cognita. alterum, cum diuersæ sint, licet eiusdem generis, arbores; vt sunt apud nos prunorum, cerasorum, pirorum & similium diuersç; illas se mutuo superare colore, & sapore, & efficacia, vel ob ætatem, vel ob soli, cælique varietatem, quemadmodum proditum est inprimis à Theophrasto, ex cuius libro sexto de plantarum caussis, ex capitibus scilicet 17. 22. 26. 27. & 22. quæ huc spectant, studiosis perlegenda, & huic loco aptanda relinquo.*

„ *Quod vero ad vsum medicinæ lignum hoc recipien-*
„ *dum sit, quemadmodum Collegium decreuit, quis est*
„ *tam non dicam medicinç ignarus, sed ineptus, qui ne-*
„ *get? an nescias, nihil esse in hac rerum vniuersitate,*
„ *quod in orbe medico locum non habeat? ipsa venena sunt*
„ *etiam medicamenta, ex animalium quisquilijs, & re-*
„ *crementis medicæ opes auctæ sunt, est in omnium mani-*

bus

bus Galeni liber de simplicium medicamentorum facultatibus decimus, & vndecimus. quis ergo reijciat lignum iamdiu receptum, & innumeris experimentis probatum, & in quo nulla vis est, quæ possit obesse, nisi si quid per imprudentiam medicus committat, quod in omni officio, & in cuiusuis medicamenti vsu cauendum est maxime. At dicendum semel est. Vbi toties factum est huius ligni periculum, quamobrem insalubrem vsum eius cognoscere valeamus? in angulo sane aliquo, in latebris. At contra, prioribus annis Antonij Mariæ Saluiati, & hoc ipso anno Petri Aldobrandini Cardinalium auspicijs, & munificentia, in valetudinario Sancti Iacobi incurabilium (vt vocatur) millia hominum hoc quoque vsi sunt ligno, magno fructu, non solum aduersus luem veneream, sed alias quoque ægritudines, aduersus quas vtiliter administrari consueuit; nec interim quisquam oris, fauciumue, aut ventriculi æstum, incendium, inflammationem, dolorem, aut excoriationem sensit. Non tamen omnibus profuit, ac fortasse nonnulli obfuit; Sed hoc est commune vitium non alijs solum Indici ligni generibus, sed omnis generis medicaminibus, quam rem in priore quoque disputatione tetigimus, in qua dicta sunt etiam nonnulla de acrimonia eiusdem ligni, quam vt nimiam ignari quidam, an ignaui, damnabat. immo licere aquam parare ex pipere, ligno omisso, quasi sanniones risu obstrepebant. Verum, vt acrimoniæ modus ponendus sit, superius, dictum est. Luem vero gallicam non sola ligni Indici acri-

monia oppugnat, sed (vt doctis viris visum est) pinguedo, & lentor cum amarore, quę in pipere non sunt: quod tamen & ipsum calefacit, siccat, per halitum digerit, atque adeo ad sudorem prouocandum efficax: cuiusmodi sunt multa; neque enim contenta vno liberalis, & munifica natura est, gaudetque varietate, vt prosit magis, & delectet, sed nec minus vt hominum ingenia sollicitet, atque exacuat.

Sed redeo ad lignum, in quo non solum acrimoniam (de qua dictum est satis) damnant, sed exiguum quoque amarorem: quamobrem Nicolai Massę testimonium non fuit silentio inuoluendum ex tractatus tertij capite secundo, vbi haec leguntur. " Et lignum quod plus " habet de substantia intrinseca nigra, est melius; haec " ibi, paulo vero post, & ad gustum est cum aliquali ama- " ritudine, sed non manifesta multum. His ergo Massa plane lignum describit, de quo agitur, in quo acrimonia superat amaritudinem, & nigrum habet meditullium, vt iam satis dictum est. intelligimus autem ex hoc eodem Massæ loco, lignum hoc nouum non esse, nec nuper ab Indis delatum, nec esse ob exiguam amaritudinem reijciendum. In curatione vero luis venereæ sudor maxime desideratur, cuius prouocandi facultas maxime posita est in acribus medicamentis (quæ tamen deleteria non sint) haec enim incidere, & per halitum digerere, optimus auctor Galenus docuit lib. 4. de medicam. simpl. cap. 19. Quicquid verò dicatur de coloris, saporis, & odoris differentia, de corticis crassitie, duri-


tieq;

tieque, de ligni densitate, & pinguedine, numquam aliquis efficiet, ligna ante dicta differre inter se, nisi vt ficus à fico, pirus à piro, nux à nuce differt, & similia.

Iure itaque pronuntiatum est, lignum propositum esse ligni sancti speciem, immo esse vere lignum sanctum, iuxta vulgarem horum lignorum appellationem, cum omnia promiscue eo nomine vulgo appellentur, relicto tamquam barbaro vocabulo Guaiacam. iureq; tandem probatum est, tamquam ad luem veneream curandam aptissimum. De qua re si cum docili ingenio agatur, iam plus satis dictum est, si cum cerebrosis, durisque capitonibuss, numquam satis.


FINIS.





ERRATA.

Pagina 10 versu 19. habens, lege, habent. 16.5. triginta, lege trigintatribus. 16.11. soptem, lege, septem. 21.18. secundnm, lege, secundum. 22.2. interpretætionem, lege, interpretationem. 22.9. oriuntnr, lege, oriuntur. ibidem. diebus ergo, lege, diebus, ergo. 27 17. factum, lege factam 30 7. namqne, lege, namque. 30. 9. potuisset, lege, potuisset. 30. 26. exceptic, lege, exceptio. 31. 24 euideus, lege, euidens. 34. 5 patefecerent, lege, patefaecerent. 35. 1. Brasauodi, lege, Brasauoli. 36. 5. quodque in eius, lege, in euius quoque. 37. 5. lege, decipi. & solent pharmacopolæ amygdalarum affrictu ruborem quendam hic lignis inducere. 40. 10. quemadmodam, lege, quemadmodum. 46 18. Monardus, lege, Manardus 53. 24 latronnm, lege, latronum 56. 20. & 22. lege, & 28. 57. 25. damnabat, lege, damnabant.



EX QVINTO LIBRO variarum obſeruationum

MARSILII CAGNATI

NOMINA HÆC PARVM NOTA ENARRANTVR,

Pharmacopola, Aromatarius, Seplaſiarius, Ropopla , Catholicus, Vnguentarius.



HARMACOPOLA, cum Græcum ſit, Latine dicitur Aromatarius (quamquam & huius origo nominis Græca eſt, nec nomen hoc exſtat apud auctores) dicitur etiam Seplaſiarius; quod nomen legitur apud Lampridium in Heliogabalo; a quo nomine potius ductum puto vulgare hoc, Speciale, quam à ſpeciebus, quo ab Hermolao Barbaro diſſentio. Eſtque Seplaſia, & Seplaſium vox antiquiſſima, & neutri, & feminini generis, vt Nonius ex Varrone prodidit. Latinis tamen video placuiſſe magis nomen, pharmacopola, Horatius, *Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ. M.* »
Cic pro Cluentio, L. Clodium pharmacopolam, qui tum »
caſu larinum venerat, aggreditur. tamen vox eſt mere græca, à vendendis pharmacis dicta, vt legitur apud »

Aristophanis interpretem Nebulis. Plinius Seplasiam non semel dixit, & ab eo accipimus Seplasiarium, & pharmacopolam eumdem fuisse. nam libri trigesimiquarti capite undecimo, accusat medicos, qui è seplasia iampridem facta emplastra, & collyria mercabantur (par est autem loco exempli collyria, & emplastra memorata) quo significat, à seplasię professoribus varia consueuisse medicamenta parari, & venalia exponi, vel in eorum apothecis custodiri. Sed, simplicia quoque ab eisdem vendi solita, significauit libri decimi Sexti capite decimo, cum dixit, Seplasiam pro thure gemmā quamdam ex picea supponere. Seplasium neutro genere locus olim fuit Capuæ, de quo illud ex Varrone Nonius retulit, Doti dato insulam Chium, agrum Cacu-bum, Seplasia Capuę, macellum Romuli: quamquam & genere feminino dicta est à M. Cicer. in Pisonem, Seplasia dignus, & Capua, & contra Rullum, & in Albana, & Seplasia, quæ concursatio percontantium. Hermolaus autem Barbarus in castigationibus Plinianis ad libri tricesimiquarti caput undecimum, inquit, Erat ergo Capuæ Seplasia, qualis Romę vicus vnguentarius; ac fortasse Vnguentarij Seplasiam incolebant, quod M. Cicero in eadem in Pisonem, cum de Seplasia dixisset, subiunxit, Gabinium si vidissent vestri illi vnguentarij. certe seplasia locus erat mercibus instructus, quę ad luxuriam, & voluptatem plurimum valerent, itaque Annibalem Valerius Maximus dixit, Seplasiæ delitijs euiratum. Est autem consentaneum, a

Seplaſia dictos Seplaſiarios, qui ſcilicet illic ſuas merces venaleis exponerent, & in apothecis cuſtodirent. quæ tamen merces non ſolum voluptati, ſed bonæ quoque valetudini inſeruirent: cuiuſmodi emplaſtra, & collyria, quę Plinius dixit medicos e Seplaſia mercari ſolitos. quorum exemplo accipimus compoſitiones valetudini dicatas in Seplaſia vendi conſueuiſſe, vt ſimplicia quoque vendebantur, vt ante de thure diximus, & Ariſtophanes Nebulis gemmas à pharmacopolis vendi indicauit inquiens, ἤδη παρὰ τοῖσι φαρμακοπώλαις τὴν λίθον ταύτην ἑώρακας τὴν καλὴν, vbi græcus interpres ait, pharmacopolas proprie dictos, qui pharmaca vendunt, ſiue ſint illa ſalubria, ſiue letalia, ſed a priſcis vocatos etiam pharmacopolas, qui lapillos vendebant pretioſos.

Verum dubitari poteſt, ſit ne idem pharmacopola, quem Galenus lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 5. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera ῥωποπώλην vocauit (quam vocem alibi non vſurpauit, quantum memini, nam, qui librum primum de antidotis adducunt, falluntur, quia illic non ῥωποπῶλαι, ſed μυρεπῶλαι legitur) quem latine inſtitorem Andernacus dixit, in illis „ videlicet verbis, credunt inſtitoribus vetus oleum da- „ re ſe affirmantibus, πιστεύουσι ῥωποπώλαις, at græci ſermo- „ nis interpretes aiunt, eo nomine ſignificari vnguentarios, & ſeplaſiarios, item, iuxta nominis etymon minutarum, & variarum rerum venditores, cuiuſmodi qui nunc Romæ pizzicaroli vulgari nomine vocantur,

qui multum differunt a pharmacopolis.

Quid vero significat apud Galenũ libri primi de Antidotis initio, Euphrati medicae materiae venditori? nam graece legitur, Euphrati catholico. Sane ignotũ est mihi, vnde Rota acceperit, vocem καθολικὸν, significare medicę materię venditorem, idest pharmacopolam, significat enim vel rationalem, vt in glossis, vel naturalem, vt apud Lacones Hesychio auctore; vel propinquũ, siue agnatũ, vt in eisdem glossis. qui catholicum vertunt, vniuersalem, ij demonstrant, se graece nihil scire. At, demum, crediderim, Euphrati illi cognomen hoc, Catholicum, quacumque de caussa, inditum. Haec igitur docent nos, pharmacopolam & Seplasiarium, eumdem fuisse. an vero idem fuerit, qui a nobis aromatarius, & vna omnium professio, an potius diuersa, ipsi docebunt aromatarij.

Sed quis nam erat vnguentarius, quaue eius professio? μυρεψὸς, gręce a vendendis vnguentis dictus, quo Galenus vocabulo saepe vsus est, & eius interpretes pro eo vnguentarium dixerunt. Vnguentarium vero vnguentorum fuisse vendetorem, accipere est ex Varronis libro de lingua Latina septimo, cum dicat, Vnguentariam tabernam vocatam, quòd in ea venirẽt vnguenta, vt vina in vinaria, &c. Non erat autem idem qui Seplasiarius, hic enim emplastra, & collyria conficiebat, & alia, vt dictum est, quae medici mercarentur gratia valetudinis, illi vero in vnguentis tantum ad delitias, & voluptatem occupabantur.

De

De dignitate verò dictorum artificum quid veteres senserint, conijcere est memoria repetentibus Lycurgũ, & Solonem vnguenta, & vnguentarios expulisse, vt alibi ex Plutarcho, Seneca, & Athenæo dicebamus: & M. Tullium libro priore de officijs ea scripsisse, minime artes hæ probatę, quæ ministræ sunt voluptatum, cetarij, Lanij, Coqui, Fartores, Piscatores, vt ait Terentius; Adde his, si placet, Vnguentarios, Saltatores, totumq. ludum talarium. De pharmacopolis vero illa Horatij sunt notissima, Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ, &c. Seplasiam vero vt fraudum studiosam Plinius non semel notauit. & Lampridius de Heliogabalo, pinxit se vt cupedinarium, vt Seplasiarium, vt popinarium, &c. Nostri vero siue Aromatarij, siue pharmacopolæ, siue Seplasiarij, a veteribus illis plurimum differunt, etenim voluptati non inseruiunt, sed valetudini, ergo non vnguentarij, officio quidem similes pharmacopolis, & Seplasiarijs, sed honestate, & dignitate cum illis non comparandi: est enim Seplasia nostrorum statis limitibus septa, & legibus firmata, vnde professoribus decus, & Reipublicæ commodum affertur.

Sed cum aliqui vellent de pharmacopolarum dignitate aliquid honestius commentari, eos audio existimare, nomen pharmacopola, dictum esse de medicis vulgaribus, non de ijs, qui officinas aperiunt pharmacis instructas venalibus, quos hodie vocamus aromatarios. hoc vero idcirco sibi persuasum, quod Galenus Mantiũ, ex vetustissimis medicis, pharmacopolam vocauerit

lib. 4. κατὰ γένη, c. 14. eumdemque fuisse vulgarem medicum ostendit lib. 2. κατὰ τόπους, c. 3. inquiens, fuit itaque Archigenes vulgaris medicus, velut & Mantias, & Heraclides empiricus. item lib. 7. κατὰ τόπους, c. 3. Pamphilum quemdam vocat pharmacopolam, quem fuisse vulgarem medicum significauit initio lib. 6. de simpl. med. facult. & lib. 1. de dieb. decret. c. 2. inquit, reuera medicum, non pharmacopolam quemdam ex triuio. Verum hæc sunt plena erroribus, ac primo Mantiam Galenus non solum cum præclaris medicis recensuit lib. 6. simpl. initio, sed, cum esset Herophilius, *preceptorem fuisse Heraclidis Tarentini, qui postea defecit ad empiricos; scripsit ipse Galenus lib. 6. κατὰ τόπους. c. 4. & lib. 2. κατὰ γένη, c. 1. ait, eumdem Mantiam primum omnium, quos nouerit scripsisse compositiones multorum laudabilium medicamentorum. quem sit Heraclides Tarentinus, eius discipulus, imitatus non solum in vsu pharmacorum, sed etiam in ea artis parte, qua victus rationem docet: quo nomine sæpius alibi eum laudauit, vt intelligere sit, non fuisse vulgarem, sed egregium, & præstantem medicum. Nec rectè accepta sunt illa Galeni fuit Archigenes non vulgaris medicus, veluti & Mantias, & Heraclides. quorum sensus non is est, quem hi arbitrantur, sed omnino contrarius: significant enim, Archigenem non fuisse vulgarem medicum, sicuti nec Mantias nec Heraclides fuere. recta enim dicendi forma requirit, vt comparatio fiat inter similia. Sic idem Galenus lib. 2. κατὰ γένη, c. 1. Post quos alij sane quidam non paucis*

volu-

voluminibus, sicut Mantias, & Heraclides, &c. quibus non significat, Mantiam, & Heraclidem *pauca volumina scripsisse; quos multa scripsisse, alibi docuit: sed sicut alios quosdam, ita & Mantiam, & Heraclidem scripsisse non pauca. & hoc est ex sequentibus manifestum, sunt etiam qui vno, aut altero tantum ea conscripserunt. ergo superiora omnia sunt de ijs accipienda, qui non pauca scripserunt. Similiter igitur & Mantias, & Heraclides fuerunt medici non vulgares. cui consentiunt reliqua de eisdem a* Galeno *dicta. sed, deinde, nusquam Galenus Mantiam vocauit pharmacopolā: & ille locus ex lib. 4.* κϛ γένη, *c. 14. falso adductus est, quia non est scriptum, Mantiæ pharmacopolę: sed pharmacopola, vti græce* Μαντίου φαρμακοπώλης. *vt Mantiæ sit casus genitiui, pharmacopola vero nominatiui. ex hac vero recta, & vera lectione manifestum est, pharmacopola non esse dictum de Mantia, sed de libro, quem Mantias scripsit eo titulo, Pharmacopola, quod perinde erat, ac si scripsisset, de pharmacopola, iuxta ea, quæ de inscriptionibus librorum, quæ apud veteres in vsu fuerunt,* Galenus *scripsit initio commentarij ad librum Hippocratis de officina medica. ergo non significatur eo nomine vulgaris medicus, sed qui vere est pharmacopola. Pamphilus vero (de quo secundo loco dictum est) fuit quidem pharmacopola, sed nusquam eumdem Galenus vocauit medicum. quod si fuisse medicum credamus; quia cum multis medicis à Galeno recensetur lib. 6. simpl. initio, non eo efficitur, neminem, pharmacopo-*

la,

la, significare vulgarem medicum, quia non constat, Pāphilum medicum, de quo lib.6. Simpl. & pharmacopolā, de quo alibi, eumdē fuisse, nisi quoque velit aliquis nos docere, Episcopum pro medico vulgari, vel pharmacopola sumptum, namque Phamphilum alias pro medico habitum, alias vocatum pharmacopolam, Aëtius ad finem sui voluminis vocauit Episcopum. Nec *mouent illa quoq. ex primi lib. de dieb. decret. c. 2. reuera medicū, non pharmacopolam quemdam ex triuio. in his enim aliud medicus, & aliud pharmacopola significat, & dānatur medicus, qui in ægris curandis officium sibi vendicat pharmacopolæ, & suum deserit. Nec, demum, apud Ciceronem (nam & hoc adduci video) in illa pro Cluentio, pharmacopola circūforaneus pro medico dictus est. nam Cicero prioribus verbis mentionem medici fecerat quem illa mulier recusauerat, qua propter pro medico circumforaneus pharmacopola adductus. quid ergo cogit, vt non accipiamus pharmacopolam proprie, qui tū miscendis, tum vendendis pharmacis operam nauat? Sed in vocabulis antiquis interpretandis non licet ingenio vti, & arbitrio, sed auctorum opus est testimonio. itaque & illud temeritatem sapit quandam, quod apud* Horatium, *Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ, nullo auctore, aut teste, medicum, vulgarem licet, interpretantur*.

Sed acutus aliquis, & eruditus fortasse existimaret, doceri posse pharmacopolam, eumdem fuisse, & medicum, quoniam Galenus *ad medicorum institutionem*

scripsit libros de compositione medicamentorum, in quibus non tam vires compositionum, quam componendi rationem enarrat, & docet, & à se, & ab alijs medicis multa medicamina composita esse testatus, quod notum est, & in eius commentarijs tam obuium, vt superuacaneum omnino sit locum de hac re vel vnum indicare, nedum exscribere. vt mirari quoque non liceat, Plinium lib. 34. cap. 2. accusasse medicos, quod medicaminum compositionem seplasiæ reliquissent. erat ei scilicet
sermo de squama æris, & flore, inquit autem, atq. hæc ,,
omnia medici, quod pace eorum dixisse liceat, ignorant ,,
pars maior, & nominibus: in tantum a conficiendis ,,
his medicamentis absunt, quod esse proprium medicorū ,,
solebat. credunt Seplasiæ ea omnibus quidem fraudibus corrumpenti. factaq. iampridem emplastra, & col- ,,
lyria mercantur, tabesque mercium. ,,
Verum hęc quantum ad historiam, & priscæ consuetudinis memoriam dicta sunt optime, ac verissime. Sed his non efficitur, quod erat propositum, medicum eumdem fuisse, & pharmacopolam. Sunt enim officia duo, alterum est vendere, & venalia in apothecis pharmaca custodire: & hoc fuit proprium pharmacopolarum, vt notatum est ab Aristophanis græco interpræte illis verbis ad Nebulas,
φαρμακοπῶλαι κυρίως οἱ τὰ φάρμακα πιπράσκοντες, τά γε λυ- ,,
σιτελοῦντα, καὶ τὰ θανάσιμα, παρὰ δὲ τοῖς παλαιοῖς καὶ οἱ τοὺς π- ,,
μαλφᾶς τοὺτ' ἔστι πολυτίμους λίθους πιπράσκοντες. φαρμακοπῶ- ,,
λαι ἐλέγοντο. *hoc est, Pharmacopolæ proprie pharmaca* ,,
vendentes, & quæ salubria, & quæ letalia, apud pri- ,,

scos

" *scos vero, & qui splendidos, hoc est, pretiosos lapillos*
" *vendebant, pharmacopolæ dicebantur. hæc ille, qui non dixit, vt nec alius quisquam, pharmacopolas fuisse medicos, vel vulgareis, vel egregios. Sed significauit aperte eosdem esse, φάρμακα πιπράσκοντας & φάρμακα πωλοῦντας, id est, pharmacorum venditores, vnde nomen φαρμακοπῶλαι hoc itaque testimonio intelligimus vendendi pharmaca officium & nomen conuenire. Alterum est officium componendi medicamenta, scilicet simplicia miscendo compositiones varias, construere: quod sane fuit medicorum, qui vt compositionum inuentores fuerunt ita & conditores earundem fuisse olim non negantur. fuisse inuentores, quis ignorare potest? ecqui plantarum, & aliorum simplicium historiam descripserunt, & de componendi ratione commentaria ediderunt? sane ij non pharmacopolæ aliqui, sed philosophi, ac medici magni nominis, Theophrastus, Dioscorides, Galenus, Mesueus, Auicenna, ne minus celebreis tam priscos, quam recenteis memoremus. eosdem vero medicos pharmaca composuisse, vel proprijs manibus, vel per ministros, quibus ipsi assiderent componentibus, docent ea, quæ paulo ante narrata sunt. Sed tandem medici visitationibus occupati, & grauioribus cogitationibus districti a se inuenta, & descripta pharmaca componendi munus ipsis pharmacopolis reliquerunt, nisi etiam visum sit officium minime congruens cæteris, in quibus medici versantur. Sed non est solum medicis honestius, verum ægris quoque vtilius, quo sint parata,*

& in

& in promptu omnis generis medicamenta; quæ res peculiarem quandam exercitationem desiderat: esse viros bonos pharmacopolas, qui scite, ac diligenter conficiant, & venalia in apothecis medicamenta cum fide custodiant. Interim tamen nostri muneris nos obliuisci non decet, quorum architectonica (vt dici solet) princepsque professio de cæteris sibi subiectis artibus iudicat, & idcirco, quæ ab illis tractantur, cognoscere debemus: sicut enim frænorum ars conficiendorum equestri subiecta est, ita medicinæ subiecta est facultas conficiendi medicamina, siue illa sumantur ore, siue foris imponantur corporibus. Sicut ergo, qui fræno est vsurus, eques cognoscere debet, vtrum probe confectum sit frænum, verum materia fræni apta, qua frænum consistat, & aptum sit, quamobrem equus domino obtemperans reddatur: ita medicamentorum formam, & speciem, & materiam agnoscat medicus oportet, si futurum sit, vt opem ex eis ægroti recipiant. Nec possunt sine graui culpa medicorum hæc ignorari, quæ sibi, quã pharmacopolis, notiora esse debent: nam quiuis artifex de suorum bonitate, & integritate instrumentorum cognoscit, & iudicat. Sed de his hactenus. Vana igitur, & falsa est interpratatio eius, qui nomen pharmacopola vsurpatum commentus est, nullis auctoribus ac testibus, ad medicum vel vulgarem, vel egregium significandum.

F I N I S.

